DE IDEA FELICITATIS TERRESTRIS

APUD

BENOTIUM PICTOREM FLORENTINUM

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

URBANUS MENGIN
Apud Collegium Sancti Germani in Ledia Sylva
olim professor

CORBOLII
EX TYPIS E. CRÉTÉ

MCMII

DE IDEA FELICITATIS TERRESTRIS

APUD

BENOTIUM PICTOREM FLORENTINUM

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

URBANUS MENGIN

Apud Collegium Sancti Germani in Ledia Sylva
olim professor

CORBOLII,

EX TYPIS E. CRÉTÉ

MCMII

AMICO IOANNI POGGI

D. D. D.

PROOEMIUM

Porticus veteris Pisanorum coemeterii philosophicis cogitationibus maxime idoneus locus est, et dubium est num Zenonis ambulacrum picturis ornatum fuerit aptioribus ad incitandos discipulos ut de vita et morte dissererent. Graves suadet sermones ipsa mortuorum domus. In tabula quidem insigni quae triumphus mortis dicitur, immitis adest dea suspensis alis supra capita juvenum volitans, et vicinae picturae judicium finale horrendasque inferorum poenas demonstrant; sed ingens contra paries a Benotio floridis coloribus ornata triumphum vitae videtur exhibere. Bonum diceres artificem nisum fuisse ut dolorem eorum qui tristia illa loca invisunt amoenis spectaculis paululum levaret dulcemque in animo vitae amorem servaret.

Cum autem leniter arrideat murus ille longus centum passus, jam similem invenire possumus alacritatem in prioribus Benotii picturis, sive cum Magorum comitatum Florentiae, sive cum divi Augustini historiam Sancti Geminiani spectamus, vel historiam divi Francisci Monte Falcone, quae primum fuerat magnorum ejus

operum, perlustramus. Quid ergo de terrestri felicitate censeret artifex ille impiger qui vel florenti juventa fervidus, vel animo maturior et annis, amoenas picturas mente semper serena finxisse videtur : hoc quidem accurate percontari in animo est ideoque vitam operaque pictoris vicissim explorabimus.

Vanum forsan aliquis censebit inceptum si aggrediaris disserendo instaurare quae fuerit philosophia artificis cui praeter penicillum et colores nihil erat quo sensus animi exprimeret. Profecto non officium est pictoris doctrinam dialectice more Platonis aut vi syllogismi more Aristotelis instruere. Tabulam Benotii videre est in museo Parisiaco quae sancti Thomae Aquinatis triumphum illustrat. Sedet divus ille doctor inter Platonem et Aristotelem; infra vero pontifex maximus et multi clerici prudentes de illius scientia disputant; facilis autem disputatio, nam omnes unanimo ore affirmant omnem viam disciplinae in *Summa Theologiae* quaerendam et inveniendam esse. Verisimile est Benotio eamdem de illa fuisse opinionem, sed tempus ei defuerat ut vasta et immensa evolveret sancti Thomae volumina. Sub effigie Dantis poetae quam depinxerat Monte Falcone legitur haec inscriptio : *Theologus Dantes nullius dogmatis expers;* sub effigie Petrarcae : *Laureatus Petrarca omnium virtutum monarcha;* sub effigie vero Iotti : *Pictorum eximius Iottus fundamentum et lux.* Quippe cum in arte pingendi tum in omni disciplina Iottus Benotio vera et magistra lux erat. Dantis Petrarcaeque poemata etsi libenter noster legebat paucam curam adhibere poterat eorum theologiae. Censebat vero Iottum, etiamsi penicillum, non cala-

mum in manu habuerat, sapientem doctissimumque virum existimandum, nam historiis, quas in tabulis pinxerat, non solis artificibus, sed omnibus spectantibus utilia praecepta praebuerat. Licebat sane Benotio tanti magistri vestigia sequenti sperare ut ipsae suae eum picturae sapientem fuisse demonstrarent. Illis enim temporibus majorem civium numerum litterarum rudem fuisse constat ; tabulae autem pictae pro libris erant, et pictores, ut ipsis ab ignaris intellegi possent, quam maxime dilucida et ad populares sensus accommodata opera effingere conabantur. Lucidior est procul dubio Iottus pictor quam Dantes poeta. Benotii vero pictum poema majore adhuc nitet claritate.

Forsitan dicat aliquis nihil novae sapientiae apud Benotium inveniendum esse, cum ita vixerit, si credimus Georgio Vasari (1), ut moribus suis sincerorum Christianorum mores exprimeret. Erat enim discipulus Beati Fratris Ioannis. Sinceros autem fuisse Christianos fere omnes illius temporis artifices contendere licet. Solis theologis scriptoribusve occasio erat haereseos aut impietatis. Populus vero artificesque religionem libenter colebant cujus splendidae caerimoniae, musica et cantus magnum demissis animis solatium afferebant. Aedes Dei tunc aedes erant populi. Laetitiam qua efferebatur in templis agmen fidelium indicat egregius sculptor Lucas Robbiae, dum cantantes pueros fingit pulpitoque subscribit verba psalmi : *Laudate* (2) *Domi-*

(1) *Vite : Visse Benozzo costumatissimamente sempre e da vero cristiano.*

(2) *Psalmus CL.*

num.... Laudate eum in sono tubae, laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalie bene sonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum. Nulla erat artificibus causa cur aliquid de sacris scripturis aut mutari aut recidi quaererent, cum facultate gauderent qua sacris scripturis omnes lepores fecundum ingenium posset addere. Nusquam dicit Evangelium Christi matrem formosam mulierem magnificis vestibus ornatam fuisse egregiaeque nutricis egisse partes. Illis quidem temporibus pictores sculptoresque certabant si quis eam blandiore oris majestate vel splendidiore amictu insignire posset, et validum robusto corpore pupulum sacris ab uberibus suspendebant. Omnia Mariae simulacra matris tenerae dulce ministerium celebrant. Simulacra sunt sed unum quodque eorum propria anima magnaque dotatur potestate. Admiratus fuerat Pisis Benotius imaginem illam quae exiguum venustumque templum Sanctae Mariae Spinae adornat et ita inscripta est :

Saxea sum sed si fertis pia vota precesque,
Mansuetum duro marmore numen erit.

Jamdiu licentiam dederant ecclesiae pontifices Veteris Testamenti legem perrumpendi sic jubentem : *Non* (1) *facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum. Non adorabis ea neque coles....* Immo postulabantur artifices qui

(1) *Liber Exodi*, caput xx.

Dei sanctorumque quam maxime amabiles fingerent imagines. Sacrae vero scripturae res quae artificibus illustrandae proponebantur parum apte describunt, inde fit ut major libertas fingendi maneret; nondum autem alta cognitione prisci temporis impediebantur. Sic dum historias sacras interpretabantur, multa creabant pictores. Maximus forte omnium inventor fuit Benotius. Ruris vastos prospectus, animantes, urbes, domus, homines creavit. Denique mundus est Benotii quem explorare conabimur, mores praecipue inspicientes et causas quae ibi demonstrantur beatitudinis et adversae fortunae. Poeticam magis quam philosophicam ethicen habebimus; sed ipsis poetis datur aliquando esse sapientibus.

Quae nunc de Benotio inquirere conamur, de multis aliis illius clarae aetatis pictoribus sculptoribusve inquirenda essent. Benotium elegimus quem magnum quidem ínter maximos existimamus, et ejus opera quae supersunt numero, magnitudine, varietate majora cujusvis artificis operibus judicamus. Pessima quidem ut plerumque accidit, refectio fuit picturarum Sancti Geminiani et Monte Falcone, perieruntque nonnulla amplarum Pisis historiarum; sed pauci sunt artifices quorum operibus tempus hominesque tantum pepercerunt. Immo coloribus nescio quid suave addidit longa temporum series, et, quamvis jamdiu aeternis occubuerit umbris postuma felicitate felix pictor adhuc fruitur.

CAPUT PRIMUM

QUIBUS DE CAUSIS CENSERE LICUERIT EX IPSA SUA VITA BENOTIO HOMINEM HIS IN TERRIS BEATUM FIERI POSSE.

Plurimae Benotio causae erant cur Deum laudaret. Florentinus erat. Seculo decimo quinto vivebat. Artifex fuit, magistrosque habuit Laurentium Ghiberti et Fratrem Ioannem Faesulanum. Excepta permansione quadam Romae, nunquam divinae liquit terram Etruriae. Miranda pulchritudine loci sunt in quibus depingens commorabatur, nam praeter alias magnas civitates Urbem Veterem habitavit et Montem Falconem et Sanctum Geminianum. Tanta prosperitate valetudinis usus est ut sexagenarius operi indulgeret indefessus et septuaginta septem annos vixerit (1). Gloriosam vidit patriam; paucis enim annis antequam mortuus est si Dominici Grilandai picturas apud templum sanctae Mariae Novellae invisit, hanc inscriptionem legere potuit : *An. MCCCLXXXX, quo pulcherrima civitas opibus vic-*

(1) Natus est anno MCCCCXX. Mense vero Ianuario anni MCCCCLXXXXVII cum Petro Perugino et Filippino Lippi Cosimoque Rosselli Florentiae in templo Sanctae Trinitatis Alexidis Baldovinetti picturis pretia imposuit. Ejus nomen in census libris non posthac reperitur.

toriis artibus aedificiisque nobilis copia salubritate pace verfruebatur.

Fuit quidem Benotius parvis opibus, numerosa vero familia praedítus. Tempore quo Mediceae domus sacellum ornabat, necessitate constrictus partem praemii postulabat ut frumentum quo panem pararet emere posset (1). Quam parvula ei res esset indicat denuntiatio bonorum quam descripsit cum jam sexaginta annos natus duodecim vero Pisis laboravisset (2). Tam modicis rebus mira et solerti industria solatia suppeditabat. Pueros vero caros videtur habuisse; in ejus tabulis parvulis plerumque adsunt quorum simplicitatem lasciviamque libenter notabat. Puerilium enim morum varia discrimina facilius quam quivis alius observare et

(1) Haec enim scribebat Benotius Petro Medici :

A dì XI di settembre 1459. Amico mio singhularissimo. Per un altra mia lettera avisai la vostra magnificentia che mi bisognava fiorini quaranta, preghandovi che voi mene servissi; perchè ora era tempo di comparare grano e molte altre cose chemmi bisognano, e risparmiavomi assai e ancora rimanevo fuori d'un gran pensiero, era di non vi chiedere nulla in sin che la vostra M^a non vedesse quel ch'i'ò fatto ; ma la necessità m'à chondotto in luogo che m'è forza el richiedervi; e per tanto abbiatemi compassione, iddio sa ch'i'ò animo di soddisfarvi. E più vi ricordai che voi mandassi a Venegia per l'azurro, perchè di questa settimana sarà fornito questa facciata, e all'altra mi bisogna dell'azurro. el brochato ellaltre chose saranno fatte allora chelle figure e prima. Io sollecito quanto posso. Altro non v'ò a dire senonchè io mi racomando a voi.

Vostro servidore,
Benozzo dipintore,
in Firenze.

(2) Haec est denuntiatio bonorum quam Benotius fraterque

notare poterat cum domi septem liberos numerososque fratris filios educaret.

ejus Dominicus fecerunt censoribus anno MCCCCLXXX. Servatur in archivo Florentino :

Beni

Una chasa per nostro abitare posta nella via del fiore nel populo di S. Maria in verzaia drento alle mura, ed a 1° via fiore, etc., etc. — Un pezzo di terra di stajora 26 o circha, chon una chasetta da lavoratore posta nel popolo di sco Colombano piviere di settimo

rende l'anno —	*grano istaja*	*12*
	vino barili	*20*
	sagina istaja	*4*
chosta le canne per palare soldi		*4*

— Una chasa dov'abitava benozo, posta nella via del chochomero.... la qual chasa n'a pigione Bartolomeo Baroncini per fior. 16 l'anno. — Una chasa in via sca maria in pisa, nel popolo di S. Simone nella quale io habito cholla mi famiglia.

Exiguis autem bonis compara familiam quae erat educanda :

Boche.

Benozzo di lese d'anni 60.
Monna Lena sua donna... 40.
Bartolomea sua figliola... 15 à la dote in sul monte 350.
Giovan Battista va alla schuola... 18.
Girolamo va a l'abacho... 13.
Francesco... 11.
Alesso... 7.
Bernaba... 3.
Maria à un anno — non à dote.
Domenico di lese... 56.
Bartolomea sua donna.
Sandro cherico d'anni 20.
Margherita... 16 non à dote.
Filipo... 17.
Nanna... 14 non à dote.
Vagia... 13 »
Laldonina... 9 »
Lisa... 4 »

Quales fuerint Benotio anni pueriles nescimus. Verisimile est eum a prima adolescentia artificis cujusdam alumnum fuisse. Quatuor et viginti annis natus adjutor fuit Laurentii Ghiberti qui miras templi sancti Ioannis valvas tunc effingebat (1). Tam clari peritique magistri disciplinam sequi optima erat Benotio fortuna, cum ipse Laurentius sculptores graecos imitaretur et signis incredibilem vitam pulchritudinemque afferret. Dubium est Benotium eum adjuvisse in delineandis argumentis quibus ornantur valvae. Animadvertere tamen licet illius modi sculpturas ab iis quae postea depinxit Benotius tabulis haud multum abhorrere. Plantis vero et avibus quae repla januae adornant Benotium admovisse manus verisimile est; nam non solum hominum sed omnis rerum naturae decus interpretari contendebat.

Haec aetas fuit qua sculptores Florentini inter se arte maxime certabant. Nam dum januas illas fingeret Laurentius, alia opera cujus pulchritudo ferme par est a Iacopo Querciae et Luca Robbiae formabantur. Donatus vero viva illa excudebat signa templi in horto Sancti Michaelis. Et architectorum opera Benotius admirari potuit; nam tempore quo januae templi Sancti Ioannis fabricabantur immanem Philippus Brunellescus testitudinem altiorem Iotti turri

(1) Documentum quod nunc est in archivo Florentino demonstrat Benotium stipulationem a. d. IX Kal. Februar. MCCCCXLIV cum Laurentio et Vittorio Ghiberti fecisse. Pollicebatur Benotius se secundae januae templi sancti Ioannis tres annos operam daturum. Praemium constituebat labori primi anni sexaginta fiorinos aureos, secundi septuaginta, tertii octoginta.

erigebat. Locupletum civium superbae domus aedificabantur. Cum architectus insignis sculptorve Benotius fieri potuisset, maluit tamen historias depingere et adjutor factus Fratris Ioannis eum Urbem Veterem et Romam comitatus est.

Lenis et casta apparet in tabulis pietas Fratris Ioannis, sed minime rigida aut tristis. Rident colores quibus candidas pinxit virgines ipse candidus; ejus vero simplicitas non est ignari sed prudentis acutique viri. Benotius etsi non erat monachus, simili fuit indole.

Trigesimum agens annum a magistro secessit et coepit ipse opera sua dirigere. At cum, post reditum in Urbem Veterem postulavisset ut tabulae quas Frater Ioannes infectas reliquerat ipsi perficiendae committerentur, tali opere dignus non habitus est. Quam moleste tulerit illam recusationem facile est animo concipi. Ab Urbe Vetere splendidoque templo postquam discessit, Fratres Minores Montis Falconis, exiguae civitatis, eum receperunt. Hic sancti Franscisci historiam aliasque pinxit. Pauco intervallo a Monte Falcone distat Asinium, quod Benotius saepe invisere poterat, Iotti ut studeret picturis quas feliciter imitabatur.

Perfectis Monte Falcone operibus Perusiae aliquandiu habitavit, et mira illius terrae suavitas plurimum ín animo depingentis valebat. Jam in ipsa patria ejsu ingenii fama tantam vim habebat ut divites Medices novae domus sacellum ei depingendum committerent. In splendido hoc loco longe aberat Benotius ab egestate Fratrum Minorum; haud certe ipse locuples fiebat,

sed dum regum Magorum transvectionem depingebat, opulentissimorum opulentae Florentiae civium hospitio utebatur (1).

Ferme tres annos in hoc sacello pictor laboravit, magno gaudio affectus cum propria effigie inter turbam principes sequentium posita inscribere potuit in pileo : *opus Benotii*. Perfecto hoc splendido opere paulisper Florentiae moratus est : monachis in conventu Sancti

(1) Haec vero epistola quam Petro Medici mittebat (nunc autem servatur in archivo Florentino) bene demonstrat quanta artificem verecundia commendaret :

Magnifico huomo Piero di Cosimo a chareggi.
A di X di luglio 1459.
Stamani ebbi una lettera della magnificenza Va per Ruberto Martegli; E intesi chome non vi pareva ch'e serafini ch'io ò fatti siano a proposito. Io n'ò falto uno in un chanto tra certi nugholi del quale non si vede se non certe punte d'alia; ed è tanto naschoso, e nugholi lo chuoprono in modo che non fa deformità nessuna, ma piuttosto dà bellezza, e questo è allato alla colonna, un altro n'o fatto dall'altra parte dell'altare, pur nascoso al medesimo modo. Ruberto Martegli gli vide e disse che non era cosa daffarne caso. Niente di manco Io farò quanto voi mi comandarete; dua nugholi gli levaranno via. Io sarei venuto a parlari; ma io chominciai stamane a mettere l'azurro e non si può lasciare, el caldo è grande, e in un tratto la colla si ghuasta. Io credo che di quest altra settimana Io avrò fornito questa pontata. Credo che voi vorrete vedere innanzi ch'io levi il ponte. E più intesi chome voi avate ordinato a ruberto martegli che mi desse quello che bisognava. Io m'ò fatto dare dua fiorini e bastonmi per ora. Ellavoro io seghuito quanto posso : quel ch'io non farò rimarra per non sapere : idio sa ch'io non ò altro pensiero chemmi gravi più che questo; e continovamente ciercho quelle vie, ch'io possa far cosa che io possa sodisfarvi al manco inn una buona parte. Altro non m'ochorre. Io mi racomando alla magnificenza vostra : il vostro servidore,

Benozzo di lese dipintore,
in firenze.

Marci matrem Christi cum multis sanctis depinxit (1). Hujus aliusve tabulae pars inferior (2) sanctae Catherinae sacra nuptialia exponit. Jesus infans materque ipsa misereri Catherinae et quasi deridere videntur. Digito sanctae dextra parvuli annulum aptare tentat, qui usque ad unguem tantum pervenit; infans vero cum a matre teneatur, propius incumbere non potest; sic necesse erit Catherinam progredi, quod parum cupere videtur, et oris habitus moestum cunctantemque animum indicat.

Puella quam Benotius uxorem duxit non usque ad aetatem Catherinae expectaverat ut nuberet. Viginti annis minor natu erat ipsi Benotio cui septem liberos peperit, quos ut educaret pictor assidue laborabat, Quot et quanta exempla magnae pictorum industriae ante oculos proposita habebat! Iotti ejusque discipulorum opus adhuc integrum manebat; in sacello Brancacci Benotius alacres Masolini Panicalensis picturas, Masacci vero severas praestantesque admirabatur; tunc Paulus Uccellarius Bibliam novis coloribus in claustro sanctae Mariae novellae fingebat; tunc Prati Frater Philippus Lippi Herodis convivium puellamque saltatricem depingebat, a vita recesserat Gentilis Fabriani, vigebant vero ejus pictae tabulae quas Romae Benotius admirari potuerat, et ipse ingenti studio ardebat ut tantos viros ingenio assequeretur.

Anno MCCCCLXIII condicione divitis doctoris Dominici Strambi usus est et sanctum Geminianum se con-

(1) Servatur in pinacotheca Londinensi.
(2) Servatur in museo Florentino dicto *degli Uffizi*.

tulit ubi quatuor annos permansit. Delectatus est pictor parva illa civitate altis turribus superba, et Senensium artificum candore et vetustate. Dominici Bartoli picturas quae Senis valetudinarium adornant cognovisse et imitatus fuisse videtur. Non nulla vero finxit opera in urbe Certaldo ubi Ioannis Boccaci memoria vigebat. Verisimile est bonum pictorem, etsi sacris historiis praecipue operam dabat, laetas Decameronis non sprevisse fabulas; sic animum relaxabat quem libri divi Augustini exercuerant; nam sancti episcopi confessiones quatuor annos meditatus est dum ejus vitam in septemdecim tabulis depingebat, et simul doctorum aequalium suorum elegantes mores exponebat.

Interea majus etiam ad opus vocabatur; nam Pisani parietem coemeterii centum passus longum ad explicandas ordine Veteris Testamenti historias commiserunt. Nulli unquam pictori tam vastus concessus est campus. Haec inter felices vitae Benotii opportunitates felicissima dici potest. Illis ingentibus picturis quindecim annos artem et laborem dedit. Aliquid spatii vacabat supra unam tabularum quam forte ipse omnium pulcherrimam judicabat; ibique hos scripsit versus quos dictabat amicus quidam poeta.

Quid spectas volucres, pisces et monstra ferarum,
  Et virides silvas aethereasque domos?
Et pueros, juvenes, matres, canosque parentes,
  Queis semper vivum spirat in ore decus?
Non haec tam variis finxit simulacra figuris
  Natura ingenio foetibus apta suo :
Est opus artificis : pinxit viva ora Benoxus :
  O superi vivos fundite in ora sonos.

Hoc tandem immani opere perfecto Benotius quietam senectutem inter liberos amicosque videtur egisse. Defunctum denique vita Pisani juxta parietem sepelierunt ubi laetus semper vivit ejus animus subridetque benignus praetereuntibus.

Operibus prope tota artificum vita continetur. Ad perspiciendas igitur eorum cogitationes opera in primis spectanda sunt. Mox quatuor Benotii praecipua monumenta vicissim considerabimus, sed etiam in minoribus operibus ejus significatur ingenium quod alacritatem anteposuit severitati. Nam sive profanae, sive sacrae historiae interpretantur, quasi semper inest aliquid Benotii tabulis quod dulcem risum suadet spectanti. Nihil jucundius inveniri potest quadam tabula quae ab eo depicta putatur et Helenae raptum ostendit (1). Insidentem humeris, cruribus ex utraque parte capitis positis, decurrens Paris de domo Menelai Helenam aufert fortiterque brachia tenet manibus; jam navis abitum parat frustraque ruit infelix maritus. Diversa hilaritas inest duobus argumentis vitae Sancti Hieronymi a Benotio Monte Falcone depictis. In priore adhuc juvenis adest Hieronymus qui cardinalis petasum humi abjicit et quantum Romanam luxuriam aspernetur socio declarat. In altera jam senex calvusque spinam e pede leonis extrahit, exterriti vero fugam accelerant socii quorum unus ut pedibus sit celerior tunicam manu sublevat. Sancti Geminiani vero pictura quaedam est in honorem Sancti Sebastiani qui hanc civitatem ab ira caelesti ser-

(1) Nunc servatur ea tabula in publica pinacotheca Londinensi.

vavit. Pater omnipotens ex alto pilum jaculatur; pila jaculantur et angeli quorum vultus minime truces videntur. Frustra Christus pro civitate deprecatur lateris vulnus patri indicans, et frustra mater binas mammas quae Salvatorem aluerunt ostendit manu sustinens: nemo tela retinere posset nisi sanctum Sebastianum implorarent Geminianenses. Viva apparet gigantea effigies sancti quem pueri, mulieres hominesque genibus allapsi precibus sollicitant, dum angeli vastum ejus pallium explicant in quo omnia tela franguntur. Quis enim, nisi sanctus ille qui sagittis confixus periit homines adversus sagittas et tela protegere posset?

Benotius autem qui nullum tulerat martyrium, similiter uti pallio non poterat, sed e quadam epistola quam Laurentio Medici scribebat intelligere licet quanta benevolentia miseris opitularetur. Juvenis quidam quem adjutorem habebat, cadurca tria monachis subtraxerat; in judicium vocatus poenas dedisset nisi Laurentius a Benotio monitus auctoritatem interposuisset; reus autem a vicario Certaldi custodia liberatus ipsi Laurentio missus est a Benotio epistolam (1) ferens qua bonus pictor omnes

(1) Haec epistola sic legitur:

Magnifico e valentissimo giovane Lorenzo di piero de'medici in firenze suo singularissimo.

Al nome di Dio a dí 4 di luglio 1467.

Clarissimo mio in Cristo dopo infinite racomandationi etc. Essendo venuto quello scandalo de'fatti di giovanni di mugiello, sopra la quale la vra Reverentia si degnò di scrivere al vichario di ciertaldo, e racomandastilo in modo che per vostro rispetto el à lasciato, e a voi vuole si rapresenti, et io ò sodato per lui; e vuole il vichario chio v' avisi che cosa era questa e di che importanza. El vero è questo chell'e cosa triste e vituperosa a chi ode la cosa semplice sanza le

clementiae rationes exponebat et utilem objurgationem esse dicebat. Laurentius decem et novem tantum annos tunc natus erat, et septem annis ante Benotius eum equo insidentem pinxerat; placet igitur putare egregium puerum familiarem jamjam fuisse pictori cujus alacritate benevolentiaque laetabatur.

Alacer enim animus et benevolus jam tum in praecipuis Benotii operibus splendescet, et mira ejus industria nec non pulchritudinis studium generosae indoli summam vim contulerunt. Sic potuit sua sorte vivere contentus.

circustanzie : imprima costui tolse tre lenzuola picholine da frati, e grosse in modo non valevano tre lire, ed essendo entrato in chamera d'un frate, furtivamente pare ; ed è cosa tristissima dall'altra parte, essendo chostui stato con que'frati circha d'anni cinque, aveva preso un tal dimestichezza che gli pareva potere fare ogni chosa : e secondo ch'egli à detto le voleva rendere; volevale per alcun dì perchè aspettava non so che suoi, e nogli parve aver modo più alto a provedere, dove un frate ne fu incolpato di queste ed altre cose, messolo in prigione ; e perchè'l frate confessasse dissongli che giovanni detto diceva che quel frate l'aveva aute, e di poi essendo lasciato el frate, e giovanni andò a ciertaldo chon un altro gharzone a dipignere; el frate lo seghuitò e achussòlo. io fui colla sua signoria e avisalo dal modo, e di poi la vostra lettera, gratia di dio e vostra, el vichario ci à usato grande humanità, e volendo che venga dalla vostra magnificentia, lui sarà l'aportatore di questa, prieghovi gli facciate un pocho di munitione, chome saprete fare, che mai più no gli intervengha simil cosa, e molto gli gioverà e voi n'arete merito daddio. Avisandovi ch'io n'ò auto tanta doglia che mai ebi la simile, e ma' più non m'intervenne di lui simil chosa ; e siamo stati in molti e varii luoghi, sempre fu lealissimo forse che idio à permesso sia stato questo iscandolo a qualche buona fine, dove io ringratio la vra Reverentia di questo aiutorio gli avete fatto, perchè io reputo sia fatto in me.el profererví io e cosa ch'io possa mi pare superfluo, perchè son vostro e della vra chasa prima che questa facciendа intervenisse. Altro non v'ò a dire per ora. Cristo Jesu sia con voi in sempiterno.

Vostro Benozzo di lese dipintore,
in Sangimignano.

CAPUT II

QUOMODO BENOTIUS PAUPERCULI FRANCISCI VITAM INTERPRETATUS QUIBUSDAM SED NON OMNIBUS EJUS PRAECEPTIS ASSENTIRI VIDEATUR.

Multum vitiatae sunt picturae Monte Falcone in choro templi sancto Francisco dicati. Pauperes erant Fratres minores et necesse erat Benotium vilibus uti coloribus. Inde factum est ut vetustate picturae corruptae fuissent; ab imperitis vero refectae sunt artificibus. Non auro usus erat Benotius dum sanctorum nimbos fingeret, at rudes refectores atramentum turpe videntur effudisse, et tenera lineamenta barbaris manibus corruperunt. Unde arduum est Benotii ingenium convenienter in his picturis aestimare. Hoc primum ejus opus fuit et verisimiliter multo inferius futuris aliis. Adhuc inaudax pictor erat; Iotti vestigia sequebatur, et eadem argumenta pinxit quae ille in sancti Bonaventurae legenda elegerat. Pauca vero quae addidit Benotius multum propriae mentis declarant.

In tabula prima Christum videmus qui in habitu viatoris, petasum post tergum habens, Francisci matri praenuntiat eam in stabulo parituram esse. Talem nuncium parum grate audit mulier. Mox primos dolores

partus inopinanter percipit. Alia adest mulier quae gravidae benigna assidet. Ornatio domus supra stabulum, etsi elegantis cujusdam fenestrae arcus adhuc acutus est, novam Florentinorum architectorum artem indicat. In dextra parte tabulae hominem videmus « valde simplicem (1) », ut refert Bonaventura, pallium in via sub Francisci pedibus sternentem. Stupet adolescens nec tanto honore se dignum aestimat.

In tabula secunda Franciscus equo insidens sanctum Martinum imitatus pallium dat egeno militi. Mox ei somnianti Christus palatium ostendit scutis et vexillis cruce signatis ornatum. Cujus quidem aedis fenestrae pinnaeque ad similitudinem sunt publici palatii Florentinorum.

Tabulae tertiae haec est inscriptio : « Qualiter Beatus Franciscus coram episcopo Asisii renuit patri hereditatem paternam et omnia vestimenta et femoralia patri rejecit. » Cernitur adolescens qui omnibus corporis velamentis spoliatus prope impudicus esset, nisi eum episcopus amictu infra umbilicum operiret. Indignatus adest pater filiique cingulum tenet verberanti similis ; obstat vero episcopus, et amicus quidam iratum patrem manulea retinet.

In tabula quarta Christo qui corruptum mundum iterum delendum judicaverat, mater Beatum Franciscum Beatumque Dominicum novos salvatores indicat ipso tempore quo occurrunt illi et alter alterum complectitur. Post Franciscum incedit adolescens Frater Minor qui,

(1) S. Bonaventurae, *Legenda S. Francisci*, caput I.

ne manus rigescant, utramque tunicae manuleam conjunxit; oculos vero tendit ad monachum qui Beatum Dominicum sequitur. Fratribus enim Praedicatoribus lautum est pallium. Franciscus vero jam modicissimo vestimento induitur quod Christi imitatorem decet. Nam die quodam audito Evangelio « solvit (1) proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejecit, et pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia, pro cinguto funem sumit ».

In tabula quinta somnians papa Franciscum videt qui nutantem Ecclesiam sustentat. Custodes duo prope pontificis lectum sedent quorum unus somno premitur. In parte dextra tabulae Franciscus papae Honorio regulam ordinis confirmandam offert. At cardinalis cujusdam os torquetur et inferius labium producitur. Nam meminit Benotius S. Bonaventuram de alio quidem pontifice, Innocentio III, referentem : « Distulit (2) perficere quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus de cardinalibus novum aliquid et supra vires humanas arduum videretur. »

In tabula sexta expelluntur daemones qui Aretium perturbabant. Munitam civitatem videmus cujus altis moenibus pinnae adjectae sunt. Hortus est extra muros ubi Franciscus genu nixus Deum precatur, dum Frater Silvester stans rectus voce manuque jubet daemones a civitate recedere. Benotius S. Bonaventuram secutus « columbinam (3) simplicitatem » Fratri Silvestro tri-

(1) *Legenda S. Francisci*, caput III.
(2) *Legenda S. Francisci*, caput III.
(3) *Legenda S. Francisci*, caput VI.

buit, daemonibus vero qui fugiunt praedatorum alituum uncos pedes et alas vespertilionum.

Tabulae septimae amabiliores aves sunt quos Franciscus affatur. « Cum (1) igitur appropinquaret Bevanium, ad quemdam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero expectantibus et convertentibus se ad eum ita ut quae in arbustis erant, inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, et omnes ut verbum Domini audirent sollicite admonuit dicens : Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris et sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis haec et his similia loqueretur, aviculae modo mirabili gestientes coeperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra et in illum attente respicere... » Tali argumento quod Iottus jam depinxerat magnam venustatem praebuit Benotius. Inter aves quae ad Franciscum praedicantem colla tendunt, cycnum, corvum, upupam, columbam, merulam, minoresque alias discernimus. Tempus elegit Benotius quo Franciscus caelum ostendit avibus dicens : « puritatem concessit aeris ». Interea monachus qui sanctum sequitur valde sollicitus videtur et dubitat num Franciscus sana sit mente dum aves alloquitur.

(1) *Legenda S. Francisci*, caput XII.

In dextra parte tabulae Franciscus Montem Falconem benedicit. Parvae civitatis aedes agnoscimus et montes qui inter Spellum et Asinium porriguntur.

Franciscum in octava tabula coenantem Celani in domo militis videmus; cum vero ad mensam accedunt gravem nuntium sanctus vir affert infelici : « Ecce (1) frater hospes, tuis victus precibus ut manducarem domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce : quoniam non hic sed alibi manducabis ». Miserandus miles genu nixus et corde obtritus statim Francisci socio confitetur. Deinde tristissimam rem videmus non a Bonaventura sed ab ipso Benotio excogitatam. Sedet moribundus jam demissis brachiis. Adhuc aperti oculi dulcis desiderium vitae declarant; eum plorans uxor sustinet, dum sollicitus filiolus ad patris collum parvulas tendit manus. Post hos duae adsunt mulieres quae magna commiseratione moventur.

Miraculum in tabula nona cernitur, nam apud Castrum Grecii cum in memoriam nativitatis Christi missa celebraretur, aliquis eorum qui aderant vidit « puerulum (2) quemdam valde formosum in illo praesepio dormientem : quem beatus Franciscus ambobus complexans brachiis excitare videbatur a somno ». Benotius sanctum virum finxit qui puerum in gremio tenet et osculatur : alius puer vero quasi exterritus miraculo ad matrem fugit alienis cogitationibus distractam.

Tabulae decimae haec est inscriptio : « Quando Soldanus misit unam puellam ad tentandum Franciscum

(1) *Legenda S. Francisci*, caput XI.
(2) *Legenda S. Francisci*, caput X.

et ille penetravit ignem et omnes stupuerunt. » Talem casum non refert S. Bonaventura, sed quilibet sit auctor a quo informatus est Benotius, arridendi opportunitatem non neglexit. Puellam ne intuetur quidem « castitatis amator », demittit oculos et crucem habens in manu flammas pedibus nudis ingreditur. Attonita consistit puella; obtupescit ore aperto Soldanus qui talia nunquam observavit.

In tabula undecima Franciscus stigmata recipit. Quod argumentum minime Benotium juvabat. Attamen hic etiam apparet aliquid ejus ingenii, nam cum spatium longis radiis rectis deesset, fenestra quadam interposita, fractos et quasi repercussos simulavit Benotius.

Ultima tabula quae Francisci exsequias describit inferior est forte Iotti picturae in templo Sanctae Crucis Florentiae. Non eamdem vim habet simplicitatis. Adstantium numerus est major, sed fides minor. Omnes in Iotti tabula moesti sunt et severi; Benotius vero diversos finxit animorum affectus. Dum monachi seniores sancti viri pedes manusque pie osculantur, clerici juniores, aequissimo, ut fieri solet, animo preces in mortuum recitant. Iottus quidem incredulum doctorem non neglexerat. Nam praesentes cum moreretur Franciscus postquam enumeravit, S. Bonaventura sic scribit : « Unus (1)... ex eis miles quidem litteratus et prudens Hieronymus nomine vir, utique famosus et celeber cum de hujusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus quasi Thomas, ferventius et audacius coram fratribus, et

(1) *Legenda S. Francisci*, caput XV.

aliis civibus movebat clavos, sanctique manus et pedes, et latus manibus propriis contrectabat ut dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret de sui et omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret ». Ille doctor in Benotii tabula primas agit partes : suspensa manu Francisci plagam aperit, et eam penitus digitis explorat.

Ipse Benotius, etsi omnibus Francisci miraculis non integram fidem tribuebat, nihil certe bonis monachis confitebatur quod eorum pietatem perturbare potuisset. Attamen naturalem verum ordinem prodigiis anteponebat. Francisci vero praeceptorum aliis subscribere, aliis contradicere videtur. Mollem et benignum Francisci animum Benotio carum fuisse haud dubium est. Sancti viri virtutem pietatemque certe laudabat pictor et assentiebatur singulari illi amori erga omnes Dei creaturas, libenterque Franciscum depinxit cum avibus colloquentem. Sed neque familiam deserenti neque corpus crucifigenti assentiri poterat. Franciscus ipsum patrem ejurat. Nam cum hereditatem coram episcopo repudiat et ipsa vestimenta restituit, sic patrem alloquitur : « Usque (1) nunc vocavi te patrem in terris : amodo autem secure dicere possum : Pater noster qui es in caelis... » Nulla deinde cura parentum fuit Francisco. Patris et matris, fratrum et sororum oblitus est. Benotius contra qui naturales affectus non neglegebat, in domo infelicis militis Celanensis caritatem patris, uxoris et filioli depinxit. Cetera vero opera pictorem ad corporis crucifixionem minime propensum fuisse demonstrant.

(1) *Legenda S. Francisci*, caput II.

CAPUT III

QUOMODO BENOTIUS MAGORUM TRANSVECTIONEM DEPINGENS SPLENDOREM OPULENTORUM FLORENTINORUM EXPRESSERIT

In domus mediceae sacello longe aberat Benotius a Beati Francisci sanctissima paupertate. Consecratum opulentiae sacrarium dici potest hoc palatium quod nuper Michelotius immanibus saxis aedificaverat. Vastissimae aedes erant, exiguum tamen sacellum, quod non publicae, sed privatae pietatis penatibus sacratum diceres. Ad hoc vero decorandum nihil pretio pepercerunt divites illi negotiatores Florentini qui jam rem publicam gubernabant. Hic picturis (1) aurum non defuit. Optimi

(1) Quod testatur haec epistola quam Benotius Petro Medici scribebat : *Magnifico huomo Piero di Cosimo dé medici a chareggi,*

A di 25 di settembre 1459,

Rmo mio egli è chapitato a me uno credo che sia fameglio di pierfrancescho vro, e à 1500 pezzi d'oro fine, ed è genovese, lavorato a genova, ed é magior ch' el nostro pocho mancho che la metà : e chiedene sedici grossí di centinaio. Credo che lo darà per 4 lire ; egli è un gran merchato. Io vi mando un centinaio e la misura del nostro. I' ò fatto ragione che voi vi risparmiate el quarto, e più : se voi il volete avisatemi : e più dice fornirvene di quanto voi ne volessi. l'oro è buono per mettere a mordente; io non chiederei altro. Io ebbi dieci fiorini, prieghovi mene facciate servire di dieci altri. E più ebbi dagl' ingesuatī dua once d'azurro, di quel di tre fiorini larghi l'oncia. Io

fuerunt colores quorum claritatem quadringenti quadraginta anni non minuerunt. Hoc sacellum ubi Cosimus et Petrus Laurentiusque cogitabundi steterunt prope intactum maneret, nisi architecti posteriores qui palatium amplificaverunt angulum quemdam parietum ineptissime amovissent. Quae lux prius esset nescimus, nunc autem pessima est. Nihilominus cum solis medio die ardentes radii sacellum pervadunt, oculi viatoris blandam voluptatem possunt capessere.

Hic regnat laetitia. Juxta fenestram ex utraque parte altaris ubi Maria cum infanti Jesu sedebat, teneri angeli pulcherrimis vestibus induti et alas moventes pavonum plumis gemmatas canticum *gloria in excelsis Deo* in eorum nimbis inscriptum magna voce fundunt. Ad tantas ferias angeli in amoenos villae mediceae apud Careggium hortos caelo descenderunt. In tribus praecipuis parietibus transvectio Magorum evolvitur. Equites dona divino puero ferentes progrediuntur per Florentinos colles quorum ilices et cupressos, rupes et castella agnoscimus, et, ut a taedio longae viae animum abducant, aves, lepores damasque venantur.

Ioannes Paleologus Imperator Florentiam quo ad universae Ecclesiae concilium venerat anno MCCCCXXXIX solemniter intraverat : Benotius tum annos undeviginti

volevo venir domenica passata da voi; el tempo mi mise paura. Io attendo all' altra facia; di quest' altra seltimana sarà fornita in frescho. E mi pare 1000 anni chella magnificientia vra sia qua, perchè voi veggia'e se' llavoro vi contenta. Cristo vi conservi nella sua grazia.

Vr. Benozzo dipintore
in firenze

(Servatur haec epistola in archivo Florentino).

natus eum et praeclarum comitatum videre potuit. Anno vero MCCCCLIX, cum hujus sacelli parietes depingere jam inceperat, papa Pius II Florentiam venit. Magnae fuerunt feriae cum armorum lusu et certamine ferarum. Miscebantur decem leones, tres lupi, quatuor tauri, duo uri, una vacca, unus aper, unus vitulus et una camelopardalis. Textilibus ornatum fuerat forum vetus ubi sexaginta Florentini juvenes choros ducebant. Quae omnia Benotius et alias ferias viderat. Divites venatores qui multis praesentibus amicis cervos agebant aut cum falconibus aucupabantur pictor equitans saepe secutus erat. Ea ante oculos erant dum Magos Bethleem longo agmine petentes depingebat.

Qui primus incedit magorum venerabilis candida et promissa barba senex est, et ut praelatum decet, mulo vehitur. Benotius ad similitudinem eum finxerat Constantinopolis Patriarchae qui, cum Florentiam ad concilium venisset ibi mortuus est et in S. Mariae Novellae templo sepultus fuit. Eum duo pagii antecedunt quorum alter ensem fert, alter vas unguentarium. Auro distincta est vestis, vultusque femineus. Nobilis quidam juvenis pardum catena tenet in tergo sedentem equi calcitrare minantis : alium pardum custodit famulus in equum ascendens ; in abscedentibus tabulae partibus deinde alius pardus capreolum insequitur, alius taurum qui cornibus minitans convertitur. Interea simius in equi tergo quietus sedet. In via quadam ad similitudinem viae Bononiensis descripta procedit caterva hominum habitu florentino quorum miranda est pileorum petasorumque varietas : muli et cameli sarcinas ferunt; camelis Aethiopes duo

vehuntur. Inter equites quos mox oculis submovebit interpositus collis garrulae mulieres discernuntur; leporem magnitudine sibi parem canis insequitur, dum falco clamitantem anatem, rapidis alis urget. In parte sinistra tabulae alius falco ardeam, regalem volucrem, caeli per edita aggreditur. At angulus ille parietis stultissime eversus est, et ardeae nunc nihil aliud nisi productos pedes cernere licet. Patriarcham sagittarii sequuntur. In proximo vero tres adsunt puellae bellatrices vestitu equitum militari indutae. Humi pica in angulo subsultat.

Secundus magus Ioannes Paleologus equo albo sedens, splendidus incedit, longa veste viridi et aureis floribus distincta circumdatus; ejus pileus amplis pennis ornatus corona cingitur. Adustioris vero coloris vultus est. Curis ingentibus imperatorem dubia imperii Ecclesiaeque fata agitant et premunt. Juxta eum pagii lanceas pugionesque in manu tenent; mitiores vero videntur quam qui armis uti possint. Tres sequuntur equites qui venustae in pagiorum habitu puellae sunt; coronis similes habent petasos altis pennis adornatos. Amoenis diluto colore vestibus superbiunt. Prima earum quae pulcherrima es cogitabunda incedit; reliquae duae post eam hilare inter se colloquuntur. Rivus est parum distans qui ad similitudinem fingitur rivi qui vulgo Terzollina dicitur.

Tertius magus Laurentius Medices equo albo pariter vehitur. Puer erat duodecim annos natus; pictor vero ut principis majestatem ei praeberet paulo robustiorem finxit. Flava auroque distincta adolescentulo vestis est; rubrae vero pallii manuleae, rubraque femoralia; graciles surae sunt; calcaria pedibus majora. Gemmis

fulget zona, fulget et pileus caeruleus qui aurea corona cingitur. Splendent et equi ornamenta quae gentis Mediceae stemma referunt. Puerum regem pagii comitantur lanceis pugionibusque armati : hic ensem fert, ille vas unguentarium. Post eum incedit avus Cosimus Florentinorum apud multitudinem maxima gratia acceptus princeps. Ille solerti quadam verecundia vulgarem pileum servavit, sed ejus equum pedester antecedens famulus nudo capite pileum reverenter sinistra manu tenet et dextra pugionem. Cosimus habitu gravis quomodo rem familiarem amplasque divitias gerat et Florentiae civitatis consulat fortunis meditatur. Juxta eum a sinistra filius est Petrus cujus caput tantum cernitur, a dextra vero frater sacerdos mulo vehitur et sacram orationem componit, dum propre mulum Aethiops sacerdotis famulus arcum tenet. Insequitur turba eorum qui tunc villam apud Careggium celebrabant, ubi Platonica Academia instaurabatur. Opulentis mercatoribus Graeci Italicique docti miscentur. Pileo cuidam sic legitur inscriptum : *opus Benotii*; modestus est et mitis pictoris vultus rasus ; attamen angulus menti et contracta supercilia animum magna molientem propositique virum tenacem significant. Ex abrupto monte descendunt equites inter quos pulchrae in habitu virili notandae sunt puellae. Pica in alto et alba columba a falconibus urgentur. Medio clivo eques lancearius et vertagi acerrimi vehementissime cervam exagitant. In rupis anfractu timide latet lepus quem canis frustra quaerit. Vincigliatae similis in excelso colle castelli turres exsurgunt.

Hic omnia divitias et magnificentiam indicant. Atta-

men bonus pictor in hoc sacello pauper ipse pauperum non oblitus est. Nam ex sedibus ubi Deum orabant principes Medices, parietum angustas versuras ex adverso intueri poterant ubi pastores et bubulcus asinariusque finguntur. In versura sinistri parietis longaevus pastor ovium adest. baculo innixus, nudis pedibus complicitis; cujus caput terram intuentis cucullus tegit. Adest vigilax canis ovium custos. Secum in animo reputat senex ovium lanam Florentinorum causam esse opulentiae. Si oves pastoresve defuissent nunquam palatium principes Medices aedificare potuissent. Ipse vero pastor semper egenus erit; sed contra sortem iniquam non repugnat; aegris oculis locupletum civium catervam non insequitur; terram vero intuetur. Mites pariter sunt bubulci cogitationes. Somniat somniantem spectans vaccam. In versura dextri parietis juvenis pastor magis impatiens sortis suae videtur. Amantis puellae divitiarumque desiderio afflictum canis interrogat cur tam diu immobilis maneat. Infra eum asinarius est asino suo vix solertior. Sed uterque pari utitur patientia.

Plerique in illis picturis vitam libenter agere videntur, nec ipsis pastoribus in animo est Fratrum minorum tunicam induere. Quem vero hic beatissimum videmus? Imperator profecto non est; sollicitus contra videtur. Laurentius puer corona pulchraque gaudet veste, sed mox nimii taedio honores erunt. Felices in primis sunt pagii lepidi et puellae formosae. Doctorum vero et artificum visus studium iugens indicant pulchritudinis quae pura voluptate valentes mulcet animos.

CAPUT IV

QUOMODO BENOTIUS S. AUGUSTINI VICES PIETATEMQUE INTERPRETATUS DOCTORUM SUI TEMPORIS ELEGANTIAM DEMONSTRAVERIT.

In parva Geminianensium civitate Benotius post splendidas Florentiae magnificentias et strepitus iterum monachorum quietem contemplari potuit. Divitius tamen Monte Falcone oppidum illud erat quod diu libera turribusque superba civitas manserat, nunc autem populi Florentini amicum, non servum, se profitebatur. Hic etiam artes honestae florebant. Dominicus Strambi haud quidem Marci Tullii vel Petrarcae famam sibi assumebat, sed illustris Parisiensis Universitatis alumnus celeberrimos díu audiverat rhetores et nunc in patria insignis orator habebatur ut ex his videre licet quae in templi choro a Benotio depicto sic leguntur :

Eloquii sacri doctor Parisinus et ingens
Gemignaniaci fama decusque soli
Hoc proprio sumptu Dominicus ille sacellum
Insignem jussit pingere Benotium. MCCCCLXV.

Templum illud Fratrum erat ex ordine S. Augustini cujus vitam pictor narrandam suscepit. Novum erat argumentum et, ut quidem arbritramur, a pictoribus

adhuc intentatum. Cum Augustinus bene dicendi et recte sentiendi praecepta docuisset, facultas sic praebebatur Benotio doctorum aetatis suae concinnam gratiam excultumque decorem depingendi, et dum volumina evolvebat in quibus Hipponensis episcopus intimos animi sensus effundit vitaeque deflet errores, de litteratis viris cogitabat quibuscum conversatus fuerat in aedibus Mediceis.

Tabulae primae haec est inscriptio : « Quemadmodum Beatus Augustinus puerili aetate a patre Patritio et matre Monica magistro grammatice traditus ultra modum brevi profecit tempore. » Patrem matremque Augustini videmus qui eum magistro committunt; Monica digitum in filii capite imponit indicans quam sit ei carus; magister, inelegans homo, solliciti pueri mentum manu mulcet. At Benotius *Confessiones* sedulo legerat et recordabatur Augustinum parum diu tam leniter tractatum fuisse. Narrat enim sanctus quam primam habuerit causam Deum implorandi : « Et (1) rogabam te parvus, ne in schola vapularem. » Etenim in dextra parte tabulae magister iterum cernitur qui, ut plagosus ille Flacci magister Orbilius, puerum humeris majoris discipuli nudum impositum et ejulantem crebris verberibus afficit. Juxta magistrum puer alius prima litterarum elementa studiose discit. At Augustinus non tam celeriter melior factus est : « Et (2) peccabamus tamen, inquit, minus scribendo aut legendo, aut cogitando de litteris quam exigebatur a nobis. Non enim deerat, Domine, me-

(1) *Confessiones*, liber I, caput IX.
(2) *Confessiones*, liber I, caput XIII.

moria vel ingenium quae nos habere voluisti pro illa aetate satis, sed delectabat ludere. » Attamen mox eum videmus paucis annis majorem et jam litterarum studiosissimum. Tam pulchra sunt quae in codice suo scribit ut quidam ex discipulis supra illius humerum spectans ea tentet cernere. Jam Virgilium legebat Augustinus et solebat « plorare (1) Didonem mortuam quia se occidit ob amorem ». Illi discipuli dum non flagellantur satis studiosi felicesque videntur. Schola in amoena porticu sita est pulchrae civitatis etruscae.

Tabulae secundae haec supersunt inscriptionis : « Augustinus cum decimum et nonum ageret annum Cartaginiensi universitate magno honore admissus fuit..... » At ne pars illa quidem quae sínistra est tabulae integra manet. Vix Augustinum videmus genu nixum et jusjurandum praestantem dum manum ponit in libro quem senex quidam doctor apertum tenet. Adsunt alii scholastici ; tantum est aedium lacunarium.

Tertia et quarta tabulae fere omnino temporis injuria et refectionibus destructae sunt. Monica fingebatur Deum orans ut absentem filium tueretur; Augustinus Italiam petens mare transmittebat. Benotius familiares affectus depingendi peritus moestitiam certe et amorem in desertae matris vultu expresserat. Haec quidem scribebat Augustinus : « Amabat (2) enim secum praesentiam meam more matrum sed multis multo amplius..... »

In tabula quinta Augustinus ad Italiam accedit :

(1) *Confessiones*, liber I, caput XIII.
(2) *Confessiones*, liber V, caput VIII.

conspicuus civis eum comiter excipit. Jam Augustinus doctoris toga pileoque induitur; attamen famulorum alter ensem fert, alter clipeum.

Tabulae sextae haec est inscriptio..... « Precipuorum virorum frequentia ac scholasticorum concessu greca in schola publice retoricham ac philosophiam legebat. » Intenti et, ut ita dicam, arrectis auribus dicentem magistrum discipuli audiunt, qui, si Augustini ipsius verbis credamus, non Carthaginienses sunt. Nempe scribebat Augustinus : « Apud (1) Carthaginem foeda est et intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter et prope furiosa fronte perturbant ordinem. » Romam venerat quia audiverat « quietius ibi studere adolescentes, et ordinatiore disciplinae coercitione sedari. » At scholastici quos finxit Benotius non quarto seculo, Augustini tempore, sed quinto decimo, Marsilii Ficini Politianive sodales videntur vixisse. Elegantes aedes sunt in quibus juvenis magister Platonem eleganter interpretatur et discipulos quid sit verum, quid rectum sollicito animo quaerentes pronuntiationis et verborum suavitate allectos tenet, dum oculi pulchris lineamentis delectantur. Adest et urbanus catulus, quietus sedens, nemini molestus.

Tabulae septimae haec est inscriptio : « Quemadmodum Augustinus a Simacho Romanorum prefecto Mediolanum missus rectoricam ac philosophiam lecturus summo cum apparatu et gloria Roma urbe recessit. » Equo vehitur juvenis insignisque doctor quem numerosi

(1) *Confessiones.*

equites peditesque comitantur. Roma adhuc parum distat. Cernitur columna Antoniana quae tum statua carebat, cernuntur et Agrippae Pantheon templumque Arae Caeli, et domus Capitolii, sicut erant illo tempore, vetusque basilica S. Petri, Adrianique moles quae tum turrita erat, et Cestii pyramis templumque S. Ioannis Laterani. At equitans Augustinus non convertit oculos; recta via progreditur nec rerum praesentium aliquid spectat, in philosophicis cogitationibus occupatissimus; cernitur in ejus vultu anxietas maxima, an Mediolani sapientem virum inveniat qui eum divinam veritatem tandem doceat. Nam sic scribit in *Confessionibus* : « Portabam(1) enim conscissam et cruentam animam meam, impatientem a me portari, et ubi eam ponerem non inveniebam. » Platonis et Epicuri, Manicheorumque et Christianorum praecepta, Evangelio nondum fidens meditatur. Interea juxta equum graditur catulus qui, quamvis tergum ad nimium calorem evitandum rasum sít, anhelat tamen et linguam profert. Juvenis quidam juxta magistrum intrepido gradu, anima firmus, incedit. Equitant alii, serii omnes videntur ut philosophos decet. Adsunt vero homines in oris tabulae ab Augustini itinere omnino sejuncti, quas tamen non nihili faciebat pictor cum in priore parte accuratissime expressos eos depinxerit. In hac tabula leguntur versus quos retulimus ad donatoris pictorisque laudes conditos. Et quidem, nisi fallimur, doctor Parisinus ille est altus et canus vir qui a sinistra cernitur disputanti similis. Vultus est hominis et

(1) *Confessiones,* liber IV, caput VII.

divitiis et doctrina praestantis. Nescio quid indicet eum in illo sacello magna auctoritate valere. Juvenis est proximus, doctoris forsitan heres qui nebulonis modo subridet. Hominem vero qui in sinistra parte stat tabulae ipsum esse Benotium asserere non dubitamus. Pictorum enim veste indutus, vicinum habet praecipuum adjutorem, illum forte Justum qui in diario quod reliquit se diu Sancti Geminiani cum Benotio picturis operam dedisse refert (1). Quinque et quadraginta annos natus erat pictor et quidem multo senior hic apparet quam in domus Mediceae sacello. Severae quae notant austeram frontem rugae vividas vires et animum aevo maturiorem ostendunt dum habitus et ornatus corporis comem illum et urbanum demonstrant.

Tabulae octavae haec est inscriptio : « Quemadmodum Augustinus ex Urbe Mediolanum veniens lecturus philosophiam atque rectoricam summo et scolarium et doctorum comitatu ab imperatore Teodosio et a sancto viro Ambrosio gratanter et honorifice receptus est. » Jam ex equo desiluit Augustinus ; equum custodit famulus et ensem tenet ; alius genu nixus ejus calcaria sol-

(1) Haec enim scribebat Justus Andreae in diario : *Io mi posi con benozzo di lese, dipintore, quale lavorava ed era ottimo maestro in muro, el patto che noi facemo insieme fu ch' io dovessi lavorare a san gimignano a una chapella di sco agosthino e star lassù hollui e darmi la spesa..... e stetti ivi in più volte tre anni lassù... e in detta chapella di sco agosthino di mia mano sono tutte le sante che sono nello squancio della finestra maggiore, e i 4 apostoli, 2 per lato bassi dell' archo della hapella, e la maggiore parte de' fregi allato a bottaci, e la prima storia hanno (?) la volta ; e più anchora in detto tempo lavorai chollui a certaldo al tabernacolo di gustiziati, dov' è un Cristo disposto di Croce; e quivi fu l'ultimo lavoro lavorai chon lui* (Vide Gaye, *Carteggio*).

vit, dum Augustinus cogitabundus pallium, ne molestum sit homini, manu attollit. Mox juvenis ad pedes Theodosio procumbit qui benignus manus porrigit. In dextra parte tabulae Augustinum animo permotum videmus cum adit Ambrosium : verecunde se submittit, et sanctum virum intuetur sollicitus et quasi ínterrogans an apud eum mali levamen aliquid inventurus sit. Ambrosius adolescentis utramque manum amice premit, quasi in mentem veniat quam difficile et arduum opus futurum sit illum juvenilem sanare animum.

In tabula nona Augustinus cum Ambrosio de philosophia disputat ; modeste juvenis rationes suas exponit quas serius et mitis redarguit episcopus. Mox cernitur Monica. « Jam venerat ad me, refert (1) Augustinus, mater pietate fortis, terra marique me sequens. » Ad Ambrosii pedes se abjicit pia mater eum obsecrans ut filium ad christianam fidem perducat : « Diligebat (2) autem illum virum sicut angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum, per quam transiturum me ab aegritudine ad sanitatem, intercurrente arctiore periculo, quasi per accessionem quam criticam medici vocant certa praesumebat. »

In dextra parte tabulae episcopus ex cathedra praedicat et fideles hortatur. At partim deleta est pictura ; Augustinum tamen discernimus qui opertos tenet oculos, non quia somno vincitur sed ut totum animum in episcopi verba intendat. Inter mulieres quae, ut mos

(1) *Confessiones*, liber VI, caput I.
(2) *Confessiones*, liber VI, caput I.

erat, humi sedent, pulcherrima quaedam virgo primaevo juventae flore vigens et sacrae orationi parum intenta faciem a cathedra avertit ut videat an elegans et arte laborata vestis quam humeris induxerit omnium oculos ad se convertat. Quae Augustini venusta uxor fuisset et forte eam sibi nurum fore jam tum Monica tendebat et fovebat. « Et (1) instabatur impigre ut ducerem uxorem. Jam petebam, jam promittebatur, maxime matre dante operam..... » In biennium vero differebantur nuptiae, quia puella nondum thalamis matura erat. Sed prius ejus oblitus est Augustinus, nam tum petulans adolescens flagitiis deditam et libidinum servam vitam agebat. « Interea (2) peccata mea multiplicabantur, et avulsa a latere meo tanquam impedimento conjugii cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhaerebat, concisum et vulneratum mihi erat et trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium se virum nescituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix nec feminae imitator, dilationis impatiens, tanquam post biennium accepturus eam quam petebam, quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram, procuravi aliam non utique conjugem..... » Quos vero illicitos sancti viri amores, debito piis honore monachos prosequens verensque ne sanctas eorum cogitationes permisceret, ingenuus pictor neglexit.

In tabula decima sedentem Augustinum videmus qui Pauli apostoli epistolas meditatur. « Avidissime (3)

(1) *Confessiones*, liber VI, caput I.
(2) *Confessiones*, liber VI, caput XV.
(3) *Confessiones*, liber VII, caput XXI.

arripui venerabilem stylum Spiritus tui et prae ceteris apostolum Paulum..... » Doctoris pileo adhuc caput ejus cingitur sed divinae lucis radiis jam collucet. Stat juxta eum amicus Alypius doctoris veste pariter indutus. « Hortulus (1) quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur sicut tota domo. » Stant enim juvenes sub umbra arboris et in proximis rosaria sunt. At Augustinus flores non spectat, ne amico quidem aurem praebet, sed caput laeva manu fulcit similis dolenti. Haec forte legerat Benotius: « Dolore (2) dentium tunc excruciabas me. » Sed tum non tristi morbo languet affectus, turbatae potius mentis illis angoribus afficitur quibus omnes laboraverunt cum inter spem dubiumque suspensi quid sit verum quaererent.

In tabula undecima Augustinus ab Ambrosio baptizatur; nudus juxta marmoreum labrum submissís genibus junctisque manibus aquam in larga capitis tonsura resilientem accipit. Ejus vestimenta monachus quidam in manibus tenet post baptizationem redditurus, at pristinam elegantiam sanctus vir nunquam recuperabit.

In sinistra parte tabulae duodecimae Augustinum videmus qui in monachi habitu juxta maris ripam meditabundus ambulat. Etsi generosus Christi famulus factus est, theologorum obscurae saepius controversiae ejus animum sollicitant; mystería sacra scrutatur et gravem sanctae Trinitatis quaestionem secum agitat. Sed divinus puer adest qui, parva fovea in arena effossa, totam

(1) *Confessiones*, liber VIII, caput VIII.
(2) *Confessiones*, liber IX, caput IV.

maris aquam cochleari utens fundere tentat, obstupescentique Augustino declarat facilius esse eam rem feliciter gerere quam divina mysteria intellegere.

In colle monasterium cernitur heremitarum montis Pisani quos visitat Augustinus. In dextra parte tabulae regulam ordinis sui fratribus benigne exponit.

Tabulae tertiae decimae haec est inscriptio : « Quemadmodum sanctus Augustinus apud Hostiam Tiberinam esistens, habitis ad quamdam hospitii fenestram cum pientissima ejus matre monacha divinis colloquiis, ac post ejus felicissimum obitum in quo corpus Dominicum in cujusdam puerili spetie de manu sacerdotis esiliens cum ipsius anima transmigravit at caelum. Assumpto navigio cum Alippio Evodio ejus filio Adeodato, multis et aliis cattolicis viris remeavit ad Affricham. » Juxta moribundam matrem stat Augustinus; librum in manu tenet, in eo solatia quaerens quae sancta verba nobis praebent, magno tamen dolore confectus. « Ego (1) silebam et fletum fraenabam. » Sed post eum filius fletus tenere non valet. « Tum (2) vero ubi efflavit extremum spiritum puer Adeodatus exclamavit in planctum..... » Humi mulier tenera sedet quam parvulus brachio tenet : duo monachi de morte disserunt; adsunt et parvuli duo nudi quorum unus catulum Augustini vexavit et jam dentibus minitantem fugit. Benotius dum pueros illos moribundae juxta lectum depingit Lucretii versus videtur meminisse :

(1) *Confessiones*, liber IX, caput XI.
(2) *Confessiones*, liber IX, caput XIII.

..... Miscetur (1) funere vagor
Quem pueri tollunt, visentes luminis oras :
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora secuta est,
Quae non audierit mixtos vagitibus aegri
Ploratus, mortis comites et funeris atri.

In parte sinistra tabulae Augustinum videmus et Monicam qui paucis diebus ante ejus mortem pias agitant quaestiones « incumbentes (2) ad quamdam fenestram unde hortus intra domum quae nos habebat prospectabatur..... Colloquebamur ergo soli valde dulciter; et praeterita obliviscentes, in ea quae ante sunt extenti, quaerebamus inter nos apud praesentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita aeterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. »

In parte dextra inter decorae domus columnas remota cernitur navis quae Augustinum in Africam reportat : librum quod apertum tenet sanctus vir non legit, at regionem illam intuetur in qua dulces dilectae matris reliquias terra condidit.

Tabulae decimae quartae maxima pars periit. Augustinus episcopus factus est et in templo juxta altare pueros benedicit. Adsunt venustae mulieres quae, dum opportuna occasio datur, pulcherrimas exhibent vestes ; quarum una in altaris gradibus filiolum impellit ut vicinior sit episcopo benedicenti.

In tabula decima quinta Augustinus veste episcopali indutus cum Fortunato aliisque hereticis disputat,

(1) *De natura rerum*, II, v. 577, sqq.
(2) *Confessiones*, liber IX, caput x.

quorum detestabiles tractatus humi jacent; mira sancti viri eloquentia victus Fortunatus in terram vultus dejicit.

Tabulae decimae sextae haec est inscriptio : « Quemadmodum Hieronimus paulo ante defunctus Augustinum de celesti gloria informavit. » In mensa scribentis episcopi libri sunt et horologium sabulosum : at ille alte spectans non in terra sed jam in divina sua civitate vivere videtur.

Ultimae tabulae haec est inscriptio : « Quemadmodum in obitu beati Augustini a quam plurimis ejus anima in celis comitantibus angelis ferri visa est. » Adstantium vero nullus in pictura oculos ad caelum tollit; omnes sanctum episcopum nunc feretro impositum moesti intuentur. Monachus quidam ejus manus osculatur ; alius omni spe orbatus ad sidera palmas tendit. Pauci sunt incuriosi vultus. Novus episcopus ipse dum preces in mortuum recitat animo fractus videtur.

Illae picturae quae S. Augustini vitam mortemque interpretantur opus Benotii sunt in quo maximam ille gravitatem attulit. Paucis exceptis, homines hic depicti et ipsi pueri in litterarum studium et serias cogitationes intenti sunt. Etiam dum equitat philosophatur Augustinus. In eo fideliter pictor *Confessiones* secutus est, ubi indicat Augustinus se etiam in dissoluta juventute magno philosophiae arsisse studio.

At Benotium qui *Confessiones* accurate legerat, verisimile est *Civitatem Dei* quam tanti faciebat Petrarca fere omnino neglexisse. Haud enim theologus erat. Sed in ipsis Augustini *Confessionibus* non nulla erant pictoris

sapientiae repugnantia. In amorem Dei quem Augustinus profitebatur Benotius certe et ipse effundebatur sed non ab omni alio terrestri affectu aversus erat. Monicam eximiam uxorem matremque laudat. « Fuerat (1) enim unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat. » Illa quidem ut filius felix fieret vitam libenter impendebat. Nihil vero in Benotii opere indicat eum vota concepisse quae Augustinus ejusque mater faciebant : « Dicebamus (2) ergo : Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiae terrae et aquarum et aeris, sileant et poli, et ipsa sibi anima sileat... nonne hoc est : Intra (3) in gaudium Domini tui ? » Benotium contra « phantasiae terrae » semper maximo gaudio afficiebant. Ne poterat quidem sancto viro annuere sic dicenti : « Quid (4) autem amo cum te amo ? Non speciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias cantilenarum omnimodarum, non florum et unguentium et aromatum suaveolentiam : non manna et mella, non membra acceptabilia carnibus amplexibus. Non haec amo cum amo Deum meum. » Benotius vero haec omnia ut divina munera libenter accipiebat. Parum didicerat secernere Deum a divinis operibus, et parum intellegebat verba Augustini : « Pulchras (5) formas et varias, nitidos et amoenos colores amant oculi.

(1) *Confessiones*, liber IX, caput IX.
(2) *Confessiones*, liber IX, caput X.
(3) *Evangelium sec. Matthaeum*, XXV, 21.
(4) *Confessiones*, liber X, caput VI.
(5) *Confessiones*, liber X, caput XXXIV.

Non teneant haec animam meam : teneat eam Deus qui fecit haec, bona quidem valde ; sed ipse est bonum meum, non haec. » Cognoscendi studium laudabat profecto Benotius et altam Augustini mentem ad vitam revocare conatus est ; at mores temporis sui imitatus sancto doctori ejusque sodalibus inusitatam contulit elegantiam.

CAPUT V

QUOMODO BENOTIUS VETERES HEBRAEORUM HISTORIAS ILLUSTRANS ETRURIAE SUAE PULCHRITUDINEM SIMUL AC POPULAREM QUAMDAM ETHICEN INDICAVERIT.

Monte Falcone Benotium pauperes Fratres pingentem detinuerunt, Florentiae opulenti cives, Sancti Geminiani doctiores monachi, Pisis (1) vero populus ipse.

(1) Haec sunt Pisis documenta in archivo collegii dicti *opera del Duomo* quae Benotii picturarum descriptiones, praemia, temporaque referunt :

Debitori e creditori. C. 158.

Maestro Benosso di Lese da Firenze dipintore dè dare a di 14 di maggio 1469 lire ottantaquattro, soldi quattro, sono per caparra di dipingniere certe storie in caposanto, àsene a pigliare parere di citadini, appare a uscita di Domenicho di Noccho.

159.

Maestro Benosso di Lese da Firenza dipintore che a preso a dipingniere in caposanto allogatogli detto lavoro con volontà e partito de' priori e collegi di Pisa, rogato per ser Carrlo da Vecchiano loro cancellieri a dì 17 di gennaio 1469, e de avere d'ongni storia fiorini sessantasei e due tersi larghi, e detti denari de' avere dell' opera di mano in mano e promette farne l'anno da tre storie in guso a ongni sua spesa, aceuto (sic) *di ponti e calcina.*

E de' ave' a dì primo di gennaio 1469 fiorini sessantasei e due tersi larghi, sono per la prima storia che è facta quando Noè fa

Ingentes splendidaeque porticus quas Ioannes Pisanus aedificaverat placida simul mortuis domus erant et

coglere l'uva per insino è innebriato, valsene lire trecento settantatre. soldi sei........ .... l. CCC° LXXIII s. Vj.

E de' avere fiorini ducento larghi sono per tre storie fatte in canpo santo seguitando la prima di sopra e venendo verso la capella di santo Girigholo ch' è l'ultima storia de' Magi e della Nonsiata. In tutto fiorini ducento larghi d'accordo secho a dì 3 di novembre a lire 5 soldi dieci l'uno.. l. MC° s.

E a dì 31 di maggio 1472 fiorini sessanta sei 2/3 larghi sono per una storia di Nino re di Babbilonia e d'Abran quando fu misso nel fuocho, a lire 5 soldi otto.......................... l. CCC° LX s.

E a dì 29 d'ottobre 1473 fiorini cento trentatre 1/3 larghi, sono per due storie dipinte in canposanto, la batagla de' re, e quando Abran li soccorse e di Merchisedek, e l'altra quando Abram ebbe licensia da Sarra uzasse con Agar sua serva, e come li angoli li disseno a taula dovea avere uno figliuolo ch' arebbe nome Izach monta............................ l. DCC° XXIII s. VI d. VIII.

E a dì dicto fiorini sessantasei 2/3 larghi sono per una storia quando Abran si parte con Tare d'Ur Chaldeorum. . . . . l. CCCLXVI s. VIII d. IIII°.

C. 178.

MCCCCLXXIIII. Storie si dipingueno in campo santo. — Maestro Benosso di Lese da Firenze dipintore in canposanto de' avere fiorini cinquecento trentatre, uno terso di fiorini larghi, sono per otto storie à dipinto in canposanto, cioè la prima chomiciandola di verso il mondo quando Noè piantò la vingnia, la seconda quando diè la maledissione a Canaam, la tersa quando Nebrotto fece la torre, la quarta quando i Magi andonno a visitare Chripsto, la quinta quando Nino fece adorare Belo suo padre cioè la statua, la sesta quando Abram si partì lui e'l padre d'Ur Chaldeorum, la settima quando fu preso Lotto co' quattro re e Abran li rischosse, la ottava quando fu ditto a Sarra per tre anguioli ch' ell' arebbe uno figliuolo che arebbe nome Izaccha.

E de' avere duchati ducento sessantasei e due tersi di duchato, sono per quattro store dipinte quine proprio seguitando quelle di sopra, cioè la nona quando Abram volse fare sagrificio d'Izaccho suo filiolo, la decima quando Soddoma arse per lo peccato della Sodomia,

spatia ad vivorum publicam ambulationem dedicata. Ad porticus divites et pauperes, clerici vel laici conveniebant.

l'undecima la natività d'Ezaù e Giacobbo, la duodecima quando Izaccha spozò Ribecche.

E de' avere duchati ducento sedici tersi due di fiorini larghi e sono per storie tre quarti uno, coè missi per tutta la storia aè achoncio sopra la porta della chapella del Barbarescho chontando li apostuli e due storie, coè la storia di Giachoppo di sopra, in tutto misse fiorini 216 2/3 di fiorini larghi.

E de' avere per tutto di ultimo d'ottobre 1478 duchati cento ottanta tre 1/3 e ssono per istorie due e quarti tre di storia cioè fatte in chapo santo apresso alla storia sopra alla chapella del Barbarescho verso lo choro, che v'è l'ultima storia di Giuzeppo quando diè il grano a' fratelli e ora s'à a chominciare la storia di Moizes. Soma storie XVIII.

C. 192.

Maestro Benosso di Leze da Firense dipintore de' avere per tutto di ultimo d'ottobre 1478 duchati mille dugento missi per lire 5 soldi 10 l'uno, e ssono per istorie diciotto fatte in chanpo santo, la prima quando Noè fece la vigna, che ffu fornita a dì primo di gennaio 1469, l'ultima quando Giuseppe diè lo grano a fratelli, fatta per tutto dì 31 d'ottobre 1478 per fiorini 66 2/3 larghi l'uno, in tutto duchati 1200 chome apare in questo c. 178.

E de' avere a dì XV d'aprile 1479 fiorini sessantasei et 2/3 a lire cinque e soldi X l'uno chome fu fatto insino a qui, e sono per una storia fatta in champo santo appresso alla chapella del Barbarescho che v'è quando Moize chavò la chorona a Faraone e gittòla in terra, che viene a essere la decima nona storia. E de' avere a di XV di settembre 1479 fiorini sessantasei et 2/3 a lire cinque e soldi dieci l'uno chome s'è fatto insino a qui, e sono per una storia di sotto a quella di sopra, che vo' è la storia di Faraone quando anneghò con tutto il suo esercito.

E de' avere a di 20 di marzo 1479 fiorini sessantasei et 2/3 larghi a lire cinque e soldi dieci chome s' è fatto per insino a qui, sono per la storia fatta appresso alla chapella del Barbarescho presso al choro ched è quando Moize tornò di sul monte che aveva lassato le taulle et trovò il vitello dell' oro che llo adoravano.

E de' avere a di 17 di marzo 1480 fiorini sessantasei et 2/3, etc.

Cum populo universo igitur pictor agebat, res candide narrans et more epici poetae, ita ut Homericis carminibus ingens ille picturarum ordo aequiperandus videatur.

Sono per una storia fatta di sotto a quella quando Moize andò in sul monte e tornò et trovò che aveano fatto il vitello lo quale adoravano, e la ditta storia e quando la terra s'aperse e inghiotti i paviglioni e lle giente v' erano sotto.

C. 200.

Maestro Benozzo di Leze dipintore de' avere lire ottomila sessantasei soldi tredici, denari quattro sono per dipintura di vintidue storie dipinte in chanpo santo in della facciata di verso le mura. La prima storia si è quella allato al mondo che v' è la storia quando Noè s' innebriò, chome appare in questo c. 159, l'ultima storia si è quando Natam e Abiron sprofondarono i paviglioni e tutta la giente, ched è dipinta appresso alla montata del choro verso la chapella del Barbarescho; della quale n' è paghato, chome appare la prima partita in questo c. 159 lire ottanta quattro e soldi quattro, l'ultima lire ciento vinti otto, soldi 16 denari 4, chome appare di chontra, ed è per resto delle soprascritte vintidue storie, e chosi si soscriverà Benozzo di sua propria mano a dì 29 di marzo 1481. Essi fatto le storie vintidue e bene che non siano a numero, perchè v'è storia ched è maggiore che non de' essere la storia chon un chavalletto in mezo sicchè a misura ciaschuna della parte à il devere suo.

E a dì 29 di marzo 1481 al pisano Io Benozzo di Lese dipintore da Firenze sono contento e pagato di storie XXII come è scripto di sopra, tra denari e robe ante come appare in detto libro in molte partite, e l'ultime appare di contra ed è a dì 29 di marzo e sono lire ciento ventotto, soldi 16 denari 4.

Maestro Benozzo di Leze dipintore in champo santo de' avere lire otto mila sessantasei, soldi tredici, denari quattro, sono per una storia fatta in champo santo dov' è il dragho del ramo, ched è alla montata del choro verso le mura della città, ched è l'ultima fatta per insino a dì ditto l. 366, s. 13, d. 4.

E de' avere a dì primo di maggio 1485 lire mille quattro (ce)nto sessantasei, soldi tredici, denari quattro, sono per dipintura di storie tre, misse quattro a misura perchè ve n' è storie due al ultimo che sono per tre storie cominciando la prima di queste tre quando Moixe fe la battagla co' cinque per passare il fiume Giordano e quando morì, la siconda quando Gesuè passò il fiume Giordano e ch

Hebraica nempe Biblia hic populo erat exponenda; at populi hebraicos mores ab italicis sejungi parum intererat. Bibliae patriarcas pueri a teneris noverant et in sacris spectaculis simulabant, nec eis patriam Italiae dissimilem fuisse arbitrabantur. Sic ipse Benotius Abraham ejusque nepotes in Italia vitam agentes depinxit. Hic inscriptiones non in latina sed in nova Tuscorum lingua leguntur, quo ab omnibus facilius intellegantur. Siquis, singulas picturas observans, eas cum sacris narrationibus comparabit, facile percipiet quam peritus Benotius fuerít ad eligenda et explicanda argumenta quae dum populum oblectabant, salubrem vivendi disciplinam omnium oculis proponerent.

Priusquam Benotius adveniret tribus jam picturis in longa pariete primae Bibliae narrationes usque ad Noë historiam fingebantur. Hic initium habet praeclarum opus Benotii.

Víndemiatores in prima tabula videmus. « Coepitque (1) Noe vir agricola exercere terram et plantavit vineam. » Altis ridicis nititur haec vinea cujus fructus maturos filii Noe nurusque decerpunt; scalas homines ascendunt et uvas a vitibus desecant quas mulieres in canistris collectas ad lacum ferunt ubi eas seminudus homo pedibus alacriter proculcat. Haud aliter Vergiliani coloni :

Davit amassò Golia, l'ultima quando la reina Saba andò a visitare Salamone, d'accordo ditto . . . . *l. 1466, s. 13, d. 4.*
(Vide Tanfani, Centofanti, *Notizie di artisti tratte dei Documenti pisani.* Pisa, 1898, pp. 87, 91).

(1) *Genesis*, caput IX, 20.

Huc (1) pater, o Lenaee veni, nudataque musto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Ipsae puellae nudis incedunt pedibus quarum pulcherrima ante alias una uvas in lacum vinarium infundit. Puer quidam cupidus videndi lacum desuper adspectat. Avus cana promissaque barba, parvulae neptis capiti manum imponit.

Mox Noe iterum videmus ejusque conjugem qui vasculis inclusum non sine religione quadam pretiosum ferunt liquorem. At potandi voluptate mox vincitur patriarcha quem uxor jam anxia intuetur.

« Bibensque (2) vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus foras. At vero Sem et Japheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversae erant, et patris virilia non viderunt. » Destructus est Noe quem ebrium pinxerat Benotius. Haud verisimile est pictorem in hoc argumento immodestum fuisse, nam in omnibus ejus operibus tenetur Juvenalis praeceptum :

Maxima debetur puero reverentia....

Partim deleta est mulier curíosa videndi et impudens (3) quae inter digitos utroque oculo quod non ei

(1) *Georgica*, II, v, 8-9.
(2) *Liber Genesis*, caput IX, 21, 22, 23.
(3) Proverbii vice celebrantur verba *come la vergognosa di Campo Santo.*

spectare fas est dissimulanter intuetur. Cham non solus est dum patrem ridens adspicit; fratrum adest unus qui gravis manet moestusque. Satis longe stat uxor Noe gestu fastidium commiserationemque significans, dum nurus pudica puerum in gremio tenens ab hoc spectaculo discedit.

Noe filium exsecratus tabula secunda exponitur. « Evigilans (1) autem Noe ex vino, cum didicisset quae fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. » Ira incensum et terribili gestu ferocem Benotius patriarcham pinxit dum infelicem poenitentemque Cham in Chanaan filio maledicit. Adsunt mater moestissima et fratres commodis minime gaudentes quae ipsis affert exsecratio. Res illa miserabilis in pulcherrima porticu agitur dum in pergula spatiosa floribusque ornata gemmatam caudam explicat pavo et curiosae ambulant puellae.

Pars dextra tabulae dulcem Patriarcharum tempore vitam exponit. Quam plurimi pueri sunt, quorum unus simiam catena medium corpus cingente vinctam tenet eique fructum objicit. Puellulae capillos pectine componit sedula mater sedens; procedit alia hydriam capiti impositam ferens dum filiolo sola brevioreque subucula induto manum dat juxta se currenti. Sic aestivis temporibus Pisanorum parvulos in antiqua platea inclinatam circa turrem seminudos et nunc ludere videres. Fons est in pictura ornato puteali cincta ad quem mulieres duae venerunt; et illae pupulum habent cujus

(1) *Liber Genesis*, caput IX, 24, 25.

nudos validosque artus pie contemplantur. Ipse Noe pallio calido ut senem decet indutus adest parvulae neptis genas manu mulcet et leporem tristis intuetur quem canis dentibus constringit. Nemrod enim jam cernimus, canibus falconibusque utentem ut mos erat in Etruria tempore Benotii, qui et ipse verisimiliter « robustus » (1) fuit « venator coram Domino ».

In tabula tertia aedificatur turris Babel, adhuc parum alta, et eam diceres portam esse magnae urbis cujus aedes columnaeque caelum contingunt. Hic Roma Florentiaque miscentur ; nam Cestii pyramidem conjunctim agnoscimus et Mediceam domum, columnamque Antonianam, et publici palatii Florentinorum altam turrim Adrianique molem ubi ingens pinea nux in tholi culmine restituitur. Sic confusionem expressit Benotius, nomenque « Babilonia » in una ex portis scripsit. Ita forsan pictor romanam infamiam, ut fecerat prius Petrarca, significabat. Pulcherrimam vero urbem illam finxit Benotius ad simulandum « civitatem (1) et turrim cujus culmen pertingat ad caelum ». Conditorum nondum sermones confusis vocibus perturbati sunt, mira vero diligentia est : mortarium subigunt, scalas ascendunt materiam ferentes : alii trulla, alii perpendiculo utuntur. Urbis praecipui cives ad opera invisenda convenerunt. In dextra parte viri de gente Medicea orti agnoscuntur ; in sinistra vero doctorum cernitur coetus : illi forsan primi sunt quorum linguae confusae sunt. Benotius certe graecos italosque doctores ser-

(1) *Liber Genesis*, caput x, 9.
(1) *Liber Genesis*, caput xi, 4.

mones haud facile inter se serentes recordabatur. Hic ipsius pictoris effigiem habemus, effigiei quam in Sancti Geminiani picturis vidimus corporis habitu simillimam, sollertis id est, impigrique viri qui, sicut illi structores, magnam temporis partem rectus stans in tabulationibus consumebant.

In hoc loco aliquantisper interrumpitur longus ordo Veteris Testamenti historiarum ; nam parvi sacelli porta est supra quam Benotius sinistra Mariam et nuntiantum angelum, dextra Magos adorantes finxit. Pulcher et serius angelus est, Maria vero modesta et obsequens. Per ornatas fenestras amoenus cernitur ruris prospectus.

In tabula quarta Abraham Beli signum adorare recusat. Picturae in medio tholus est gracilibus columnis fultus subter quem regis signum est mundi globum in laeva manu, justitiae vero sceptrum in dextra tenentis. Adorantibus eum scelera remittuntur. Rex Ninus Beli filius nocentes duo absolvit. At impunitate facinora multiplicantur. In abscedentibus cruenta pugna discernitur; propius vero minoris momenti jurgium est : rixantur enim pueri duo quorum alter alterum supplantat. In dextra parte tabulae Abraham videmus qui sanus ex ardentibus rogi flammis egreditur ad quas statuam venerari recusans damnatus erat. At contra exuritur superbus stultusque Nachor qui rogum eumdem se incolumem transire posse arbitrabatur; jam ejus nihil praeter barbatum caput exstat et ipsa barba mox uretur. At ne tabula ista omni caritatis exemplo careret, Benotius matrem quamdam finxit parvulum in gremio

tenentem. Ruris adspectus amoenus hominum feritatem jamjam mitigabit.

In tabula quinta Abraham videmus qui ex Haran discedens in Aegyptum cum tota familia equitans contendit. « Tulitque (1) Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran. » Jam longaevus et calvus Abraham, at eum venustae puellae comitantur. Sarcinas muli camelique ferunt; in equo sedens se jactat simia.

In dextra parte tabulae jurgio contendunt pastores gregum Abraham et Lot; jam duo invicem sibi crines lacerant ; et alii clavam intentant. Oves et capellae canesque placidi adsunt; haud procul adolescens formosae puellae amorem suum confitetur, dum submissus genibus Abraham Deo monenti totum animum advertit. Mox bonus patriarcha ad Lot accedit quem sic affatur : « Ne (2) quaeso sit jurgium inter me et te et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est : recede a me obsecro : si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo : si tu dexteram elegeris ego ad sinistram pergam. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis quae universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham sicut paradisus Domini et sicut Aegyptus venientibus in Segor. » Ille paradisus ad similitudinem Etruscae terrae fingitur. Palmae quidem non nullae, numerosae vero cupressi

(1) *Liber Genesis*, caput XII, 5.
(2) *Liber Genesis*, caput XIII, 8, 9, 10.

sunt. Hibernis mensibus verisimiliter hanc tabulam pinxit Benotius, nam arbor quaedam est foliis nudata in qua summa vetus nidus cernitur. Caeruleum mare ut e Pisanis montibus in abscedentibus observare possumus.

In sexta tabula milites undique certant et gladiis, securibus lanceisque armati mutuis ictibus se petunt et confodiunt. Solam illam ingentem pugnam pinxit Benotius qui, perinde ac Frater Ioannes magister ejus, ad cruentas res depingendas minime propensus erat. At in narratione pugnae quatuor et quinque regum aliquid ludicrum pictor deprehenderat : « Vallis (1) autem silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum et Gomorrhae terga verterunt, cecideruntque ibi. » Infelices finxit Benotius milites qui in bitumine prolapsi resurgere non possunt. Quinque reges jam capti sunt et Lot ipse vinculis alligatur, dum ejus uxor crinibus disjectis gemitus tollit perterrita. Repente vero intervenit Abraham qui lorica galeaque indutus et magno militum agmine comitatus victis opem ferre contendit. Ingens fit priorum victorum caedes et e vinculis Lot regesque eximuntur. At bonus tanta strage haud oblectatur Abraham cujus vultus commiserationem potius quam odium significat. Mox ei liberati reges gratias agunt et Melchisedech « sacerdos (2) Dei altissimi » panem offert et vinum lagenis inclusum similibus earum quibus Tusci etiamnunc utuntur.

Res turbulentas quae fiunt in Abraham domo exponit

(1) *Liber Genesis*, caput XIV, 10.
(2) *Liber Genesis*, caput XIV, 18.

septima tabula. « Igitur (1) Saraï, uxor Abram non genuerat liberos, sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, dixit marito suo : Ecce conclusit me Dominus, ne parerem : ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. » Acerbe Agar subridet dum tale consilium affert obstupescenti marito : ancilla vero decussatis in pectore manibus ad obtemperandum dominae voluntati se fatetur paratam esse. Mox vero Saram in tabernaculi limine videmus quae ancillae invidet et irascitur. « Nam illa (2) concepisse se videns despexit dominam suam. Dixit que Saraï ad Abram : Inique agis contra me : ego dedi ancillam meam in sinum tuum : quae videns quod conceperit, despectui me habet, judicet Dominus inter me et te. Cui respondens Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. » Tum sine mora ancillam quam capillis corripuit frustra resistentem vetus Sara nodoso fune violenter percutit. « Affligente (3) igitur eam Saraï fugam iniit. » Discedentem Agar videmus quae Sarae tabernaculum fastidiose respicit. Angelus quatuor alas habens ut citius advolet eam jubet ad dominam reverti.

In media parte tabulae Abraham ad pedes trium angelorum procumbit qui ad eum invisendum venerunt. Fugit lepus patriarchae genibus submisso illudens, et levi saltu rivum superans in quo albae natant anates dum in ripa quieta cerva pascitur. In dextra parte tabulae sub quercus umbra angeli cum Abraham prandent :

(1) *Liber Genesis*, caput XVI, 1, 2.
(2) *Liber Genesis*, caput XVI, 4, 5, 6.
(3) *Liber Genesis*, caput XVI, 6.

unusque eorum patriarchae nuntiat Saram ei filium parituram esse. Dum haec audit vetus Sara tabernaculi stans in limine gestu declarat rem non fieri posse. « Erant (1) autem ambo senes provectaeque aetatis, et desierant Sarae fieri muliebria. Quae risit occulte dicens : Postquam consenui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? » Agar e tabernaculo post dominam arrectas aures praebens illa angeli verba quae futura sint praenuntiantis aegre accipit. Abraham angelum diffidenter intuetur et se ab eo putat irrideri. Calvum patriarcham facetis angelis pictor sollerter opposuit. Abraham postea longius videmus qui, discedentes angelos paulisper comitatus domum multa sub pectore versans revertitur.

Octava tabula horrendum flammis conflagratae Sodomae exponit spectaculum. Attamen si hoc solum quod in caelo agitur considerares, angelos qui flammas conjiciunt more puerorum pila ludere facile diceres. In urbe vero omnia incenduntur et tecta moeniaque flammis collabuntur. Igni saxorumque ruina perempti omnes incolae perituri sunt. Tantum fuit Sodomorum scelus ut parum deceat misereri eorum. At Benotius hic innocentes pueros fuisse non oblitus est quos cum cruciatis matribus miserandos depinxit et mulierem oculis nostris exhibet maternae pietati parentem quae anxia vestem super parvulorum natorum capita explicat eosque sedulo protegere conatur.

Interea Lot ejusque filiae ex impura urbe fugiunt.

(1) *Liber Genesis*, caput XVIII, 11, 12.

Uxor quae exsecratam urbem respicit attonitis animis gradum tenet : « Versa (1) est in statuam salis. » Quod ut indicaret pictor eam albam effinxit. Venustae sunt Lot filiae quae sarcinas ferunt capitibus impositas, nec capsam, dum fugiunt, praetermiserunt. Ceteros earum casus prudenti Benotio referre non placuit.

Nona tabula nobis domesticis curis sollicitum demonstrat patriarcam cujus jam aliquot annos natus est filius Isaac : « Cumque (2) vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc, et filium ejus ; non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. » In pictura non ludunt pueri sed pugnis certant et Agar ingenti gaudio afficitur cum videt filium suum dominae filio validiorem esse ; at iterum expellitur Agar quae omnia sua in una sarcina capiti imposita ferens et seminudum filium trahens post tabernaculum discedit erratura in solitudine Bersabee. Biblia jubente Deo ancillam ab Abraham dimissam fuisse refert ; Benotius vero patriarcae tantam severitatem non ignoscit, nam, eo ipso tempore quo Agar post tabernaculum fugit, ecce Deus adest qui Isaac tabernaculo placide dormientem patri indicat et sibi mactari jubet. Dei voluntati protinus obtemperat infelix Abraham. Jamque famuli duo clitellas asino cum lignis holocausti et viatico imponunt. Tum Isaac patri suo : « Ubi (3) est victima holocausti ? »

(1) *Liber Genesis*, caput XIX, 26.
(2) *Liber Genesis*, caput XXI, 9, 10, 11.
(3) *Liber Genesis*, caput XXII, 7.

dicít, et moestus respondet Abraham : « Deus providebit. » Postea relictis famulis asinoque sub monte, ascendit Abraham cum filio ligna humeris imposita ferente; ipse accensam facem sinistra manu tenet, dextra vero ingentem cultrum quem celare conatur; et filium, dum progreditur, insontem miserandumque miserandus respicit. Mox Isaac prope nudus in altari ligatur, jamque cultrum in eum intentat pater, cum angelus de caelo ejus manus retinet supponendumque in locum filii arietem ostendit. Deinde Abraham filiumque videmus juxta fontem cum famulis herba considentes et coenantes; pascitur asinus; omnes fame premuntur, praeter Abraham adhuc recenti dolore aegrum et avidis salvum filium spectantem oculis.

In decima tabula Abraham servo Eliezer praecipit ut uxorem filio inveniat. Stat Eliezer ante dominum genu nixus ad fidem dandam. Legitur in Biblia : « Pone (1) manum tuam subter femur meum, » quod ut indecorum Benotius neglexit. Porticus vero ubi haec aguntur pulcherrima est et speciosis ornationibus elaborata. Adest et Isaac cum vertagis. Refert Biblia eum quadraginta annos natum uxorem duxisse. Pictor vero eum lepidum adolescentulum effingere maluit. Terra Mesopotamiae deinde prospicitur quam Benotius ad similitudinem Etruriae suae effinxit. Rebecca prope fontem potum dat Eliezer, cameli vero absunt et in abscedentibus tantum videntur; Benotius certe equos pluris faciebat. Mox tentatur puella, nam *protulit* (2) *vir*

(1) *Liber Genesis*, caput XXIV, 2.
(2) *Liber Genesis*, caput XXIV, 22.

inaures aureas, appendentes siclos duos et armillas totidem pondo siclorum decem. Rebeccae vultus gestusque admirationem simul cupiditatemque declarant.

In dextra parte tabulae ad domum Abraham pervenit Rebecca, cujus vultum postquam ex equo descendit, vetus patriarca utramque manum prehendens curiose intuetur ; illa vero non senem sed Isaac spectat qui pulchritudine puellae subito stupefactus confususque manet. Puella est enim « decora (1) nimis virgoque pulcherrima et incognita viro ». Sollicitus Eliezer Deum implorat ut puella accepta sit Abraham. Nuptialem tandem coenam videmus ; ad dextram Rebeccae sedet servus Eliezer qui poculum in manu tenet et novos conjuges bonis verbis salutat. Resonat elegans porticus laeto tubarum clangore. Quae omnia excogitavit Benotius, nam de Isaac et Rebeccae nuptiis nihil amplius Biblia refert nisi haec : « Introduxit (2) eam in tabernaculum Sarae matris suae et accepit eam uxorem ; et tantum dilexit eam ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret. » Quod legerat Benotius, nam Sara a nuptiali coena abest et luctu afflictus Abraham videtur.

In undecima tabula dulces illius matrimonii effectus patescunt. Gemellos enim modo peperit Rebecca, quae nunc in magno ornatoque lecto duobus pulvinis fulta sedet, manusque aqua lavat quam ancilla formosa ex vasculo effundit. Multae adsunt mulieres, quarum duae gemellorum nutrices sunt. Esaü nutrix parvulum ut

(1) *Liber Genesis*, caput XXIV, 16.
(2) *Liber Genesis*, caput XXIV, 67.

monstrum moesta considerat. « Qui (1) prior egressus est rufus erat et totum in morem pellis hispidus. » Nutrix Jacob contra laeta superbaque est alumno quem omnes laudant. Jam prudens callidusque videtur Jacob; Esaü vero pollicem simpliciter sugit. Infantium prima lavatio paratur, dum explicantur panni angusti longique ad modum eorum quibus adhuc temporibus nostris Italicae nutrices utuntur.

In media parte tabulae aedificium est splendidum arcum oculis referens. Tranquilla sunt tempora nec catenis opus est portas occludere. Illo sub arcu Jacob fratris sui primogenita parvo pretio comparat. Esaü, robustus adolescens cujus pilosa bracchia cruraque cernuntur e venatu redit; cingulo tenetur cornu quo ad canes vocandos venator uti solet: defessi vero sunt vertagi quorum unus subito procumbit; servus falconem habet in manu sedentem. Otiosus coenabat Jacob; nunc vero lentis edulium in dextra tenet quod non fratri prius dabit quam ille jusjurandum praestiterit. Adolescens alius quem ipse ingenii arbitrio excogitavit Benotius prope Jacob stat cui de tetro animo videtur exprobrare.

Deinde senescentem ac prope caecum baculo nitentem Isaac videmus qui filium Esaü orat ut venetur et ei pulmentum faciat, paternam benedictionem accepturus. At Rebecca Jacobque colloquium audiunt et jam dolum meditantur. Mox enim Jacob postquam Esaü vestibus indutus est inflexis genibus ante Isaac adest qui perfunctus est epulo cujus reliquiae in mensula cernuntur.

(2) *Liber Genesis*, caput xxv, 15.

Jacob pectori suo manum imponit veritatem simulans. Dubitat Isaac, tandem eum benedicit. At vix surrexit, cum supervenit Esaü et patri confectum pulmentum offert. Tum Isaac dolum sentit et amaris verbis increpare tentat, sed ei animus infirmior est quam ut uxorem Jacobque objurget. Esaü canes patinas odorantur e quibus cibum sumpsit Isaac et ipsi minime contenti videntur.

In tabula duodecima (1) ignavus pater iterum Jacob benedicit, quem in domus angulo mater monet Esaü iratum ei mortem minari. Fugit ergo Jacob et procul cernitur dormiens scalamque cum angelis somnians. Talia miracula parum curat Benotius; Jacob contra consobrinae suae occurrentem diligentissime effinxit. « Profectus (2) ergo Jacob venit in terram Orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium ambulantes juxta eum : nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur.... Ecce Rachel venie-

(1) Inscriptiones subter tabulas sunt quae partim periere. Benotium ipsum arbitramur eas composuisse. Haec legitur subter duodecimam tabulum : *Come Isac e Rebecca mandorno Iacob a Laban perchè Esau avea pensato d'ammazarlo. Dormendo Iacob vide..... e angeli che salivano e scendevano. E andando trovò un pozzo dove el bestiame veniva a bere. Levando la pietra fulli mostro Rachel e bacciolla e poi fece patto con Laban di servirlo sette anni e lui li desse Rachel per donna e finiti anni sette Laban fece le nozze dandoli Lia. Iacob si dolse de lo'nganno. Laban infra otto di li dete Rachel e Iacob li serve sette altri anni e sei anni servi a parte poi li comandò Iddio che si partisse. Laban li andò dirieto con malanimo. Iddio lo minacciò e giunto a Iacob si dolse della sua partita : E ami furato el mio Iddio d'oro. E Iacob disse cercate e cercando nolli trovò e fece alleanza con Laban e trovando Iacob un angelo e' fece lotta.*

(2) *Liber Genesis*, caput XXIX, 1, 2..... 9, 10, 11.

bat cum ovibus patris sui : nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Jacob et sciret consobrinam suam ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam. » Quae omnia Benotius picturis fideliter interpretatus est. Hic vero certe consobrinam Jacob osculatur antequam adaquentur pecora.

Deinde Jacob et Laban inter se colloquuntur, at pictor dolos omnes quos invicem Jacob avunculusque sibi nectunt effingere non poterat. In media parte tabulae Jacob ejusque consobrinarum nuptiae celebrantur. Saltatione adolescentulus quidam movetur cum puella cujus longa vestis decoris et sinuosis rugis inflectitur. Aliae puellae junctis manibus in choros irrumpunt. Inter sponsas sedet Jacob cujus dextra manus in Liae humeris recumbit, sinistra vero molliter Rachel dextrae implicatur. Liam etsi refert Biblia lippis oculis fuisse haud informem pictor finxit, pulchriorem vero Rachel quae erat « decora (1) facie et venusto aspectu ». Puellis illis quae nuper oves pascebant mira est elegantia.

Post nuptias Jacob cum socero altercatur; denique Laban videmus qui e filiae tabernaculo egreditur ubi ablata idola se reperturum frustra speraverat. Haec enim est Bibliae narratio : « Surrexit (2)... Jacob et impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit... Eo tempore erat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui... Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob et Liae, et utriusque famulae non invenit. Cumque

(1) *Liber Genesis*, caput XXIX, 17.
(2) *Liber Genesis*, caput XXXI, 17, 35.

intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper : scrutantique omne tentorium et nihil invenienti, ait : Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo; quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi : sic delusa solicitudo quaerentis est... » Quae tam faceta Benotius certe non neglegere poterat, sed in abscedentibus pudice effinxit. Laban tandem ejusque gener pactionem ineunt, et ex utraque parte tumuli jurant se nunquam eum transgressuros. Juxta Jacob uxores duae sunt formosaeque ancillae nec non et filii plurimi quos una quaeque genuit. Deinde Jacob cum angelo sub elata palma luctatur ludenti potius saltantique similis.

In tertia decima tabula Jacob obviam fratrem suum habet. Non amore nec poenitentia sed timore impellitur perfidus homo ut in gratiam cum frustrato fratri redeat. « Elevans (1) autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esaü, et cum eo quadringentos viros. » Jacob uxori Rachel fratrem suum indicat adhuc remotum et magno militum agmine comitatum. « Et (2) ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. Currens itaque Esaü obviam fratri suo, amplexatus est eum : stringensque collum ejus et osculans flevit. » Benotius Esaü finxit dum fratris genu nixi dextram prehendit collumque amplectitur. Esaü vultus habitusque longum moerorem enarrant ex quo ei immatura senectus est : magnanimus vero fraudem astuto fratri ignoscit.

(1) *Liber Genesis*, caput XXXIII, 1.
(2) *Liber Genesis*, caput XXXIII, 3, 4.

Media pars tabulae corrupta est : hic tamen Laurentii Medicei effigiem discernendam esse dicitur. Deinde Dinae narratur historia. Jacob ejusque familia in terra Sichem venerant. « Egressa (1) est autem Dina, filia Liae, ut videret mulieres. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit eam, et rapuit... » Quae Benotius in abscedentibus sed accurate effinxit. Paulum repugnantem puellam incensus amore adolescentulus ad domum suam dulciter trahit. Ad stuprum ulciscendum puellae fratres atroci perfidia utuntur. Litem componere adolescentuli pater conabatur. « Locutus (2) est itaque Hemor ad eos : Sichem filii mei adhaesit anima filiae vestrae : date eam illi uxorem. Et jungamus vicissim connubia : filias vestras tradite nobis et filias nostras accipite. » Tales conditiones Jacob filii subire simulant, sed omnes prius circumcidí Sichemitas exigunt. Quo illi assentiuntur. « Et (3) ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filii Jacob, Simeon et Levi fratres Dinae, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter : interfectisque omnibus masculis, Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam... » Quam stragem pinxit Benotius at manifesto ab ea ipse abhorrebat et adolescentuli patris lenibus consiliis suffragabatur.

Decimae quartae tabulae prima pars destructa est. Hic incipiebat historia Joseph, quem non jam cernimus

(1) *Liber Genesis*, caput XXXIV, 1, 2.
(2) *Liber Genesis*, caput XXXIV, 8, 9.
(3) *Liber Genesis*, caput XXXIV, 25, 26.

primum somnium fratribus narrantem ; at eum habemus dum secundum somnium toti familiae exponit : « Vidi(1) per somnium quasi solem et lunam, et stellas undecim adorare me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset increpavit eum pater suus et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram? » Omnes illos superbiam Joseph indignantes solertissime depinxit Benotius.

Fratres Joseph deinde procul cernimus qui oves pascuntur ; pergit ad eos somniator cujus mortem meditantur. Mox eum in cisternam demittunt et ejus tunicam hoedi sanguine tinctam ab patrem ferunt qui acerbo dolore conficitur. Illas poenas fert Jacob qui fratrem Esaü tanta injuria affecerat. Interea extractum de cisterna Joseph Madianito negotiatori fratres vendunt. Negotiator ad domum Putipharis cum pervenit ei Joseph emendum proponit. Jam adest aetate florens formosaque Putipharis uxor quae vetulo marito suadet ut speciosum puerum comparet. Negotiatori igitur pecunia numeratur. Deinde Putipharis uxoris infelix inceptum describitur. Lecto nititur sola subucula induta mulier tenera quae pulchrum pectus frustra nudavit (2), nam

(1) *Liber Genesis*, caput XXXVII, 9, 10.

(2) Putipharis uxor a Benotio depincta Florentinis mulieribus comparanda est quas sic increpabat severus Dantes poeta :

Tempo futuro m'è gia nel cospetto
Cui non sarà quest' ora molto antica

Nel qual sarà in pergamo interdetto
Alle sfacciate donne fiorentine
L'andar mostrando con le poppe il petto...

(*Purgatorio*, XXIII, 9, 8).

in fugam ruit insulsus puer quem decepta veste retinere tentat. In Bibliae narratione Joseph Putipharis uxori rationem reddit cur non ei pareat. Benotius vero eum impudico incepto exterritum et extemplo fugientem effinxit. Peradolescentulus Joseph est, et dum ligatus in carcerem mittitur, res quae evenerunt vix videtur intellexisse.

In tabula decima quinta splendidas videmus Pharaonis aedes, quarum multiplex simul et modulata structura est, nam acuti romanique arcus columnis ornamentisque connectuntur. Pharaonis vero templum Florentinorum cathedralis ecclesia est cujus ingentem tholum Benotius instrui viderat. In sinistra parte tabulae Pharao somnium narrat conjectoribus consilio egentibus. Tum pincernarum magister ei Joseph adhuc catena illigatum indicat ut solertissimum in somniis interpretandis. Responsa Joseph quae septem ubertatis annos septemque annos venturae famis denuntiant modumque magnas divitias faciendi tantum Pharaoni placent ut adolescentulo servo dicat : « Ecce (1) constitui te super universam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus : vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. » Quae omnia Benotius diligentissime expressit aedesque splendidas in forma basilicae finxit ubi canorae tubae resonant.

Joseph deinde fratres suos interrogat qui eum non agnoscunt; at scyphus reperitur in sacco Benjamin, et fratres iterum ante Joseph adsunt quem obtestatur

(1) *Liber Genesis*, caput XLI, 41, 42.

Ruben ut ipsum servum pro Benjamin accipiat. « Non (1) se poterat ultra cohibere Joseph » qui manum ad udos fert oculos.

Historiam illam adamavisse videtur Benotius, ibique nomen suum consignaverat in disticis quos supra retulimus :

Quid spectas volucres.....

necnon effigiem suam inter doctos viros artificesque pinxerat qui ante Pharaonis aedes deambulant. Hic etiam corporis habitus impigri hominis est qui tum ex laboribus brevi quiete reficitur. Vicinus adolescens adjutor est qui eum digito ut ingentis operis auctorem designat et dicere videtur : « Hic est ».

In tabula decima sexta (2) incipit historia Moysis. Novi Pharaonis aedes videmus quas Benotius ad similitudinem pinxit domus quam Medices Pisis inhabitabant. Pharao lepidum parvulum Moysem quem soror ostententabat collo suo admovet, at ille impositam Pharaonis capiti coronam tenera manu corripit et ludens in pavimentum abjicit ubi dissipatur. Quod funestum omen solliciti considerant conjectores. Deinde candentes carbones in patina a pagio oblatos manu prehendit parvu-

(1) *Liber Genesis*, caput XLI, 41, 42.

(2) Hujus tabulae haec est inscriptio : *Come Faraone avendo in braccia Moyse essendo piccolo fanciullo gli gittò in terra la corona del capo e ruppela. Faraone se ne costritto e fecero venire del fuoco. Moyse prese un carbone di fuoco e missesélo in bocha e per questo atto non dubitò più. Venuto Moyse in età perfetta Iddio lo mandò a dire a Faraone che lasciasse il suo popolo. Faraone non gli credette. Moyse fece molti miracoli. Fra i quali una mazza diventare un drago.*

lus Moyses quem Pharao rursus in gremio tenet. Mirabili eventu obstupescunt conjectores, moestus est ipse Pharao quem tamen non malum hominem diceres, nam amantis patris modo formidolosum tenet puerum. Mulieres vero quae Pharaonem comitantur parvulum Moysem diligunt et omina eas gaudio afficiunt.

Moysi quem postea videmus jam firmata aetas est promissaque barba. Cum Pharaone senescente altercatur populi sui libertatem postulans; cui proposito haud assentitur Pharao sed saevum Moysis vultum perturbatus intuetur. Mox Moyses ut Pharaoni ejusque familiaribus potestatem suam declaret virgam in draconem convertit. Adstantium quidam exterritus monstrum fugit cujus caudam adhuc virgae similem Moyses in manu tenet.

Tabulae septimae decimae ubi Aegyptii in mare Rubro submergebantur maxima pars destructa est. Nonnulla capita militum equorumve fluitantium discernuntur. Pulcherrimus ultra mare camporum prospectus erat. Civitas superest ubi Pisanorum fastigía inclinataque turris agnoscuntur. Hebraei qui sicco pede mare transierunt nunc in littore Deo gratias agunt. Mater quaedam parvulo praebet ubera.

In tabula octava decima Moysi Deus tabulas dat lapideas. Antequam in montem Sinaï ascendat Moyses, ne turbetur a populo, circuitum, Deo jubente, parari curat : « Constituesque (1) terminos per circuitum, et dices ad eos : Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis qui tetigerit montem morte

(1) *Liber Exodi*, caput XIX, 12.

morietur. » Benotius homines finxit qui palos inspiciente Moyse in terram defigunt. Deinde solus ascendit Moyses, populus vero sub monte manet. « Et (1) ecce coeperunt audiri tonitrua ac micare fulgura et nubes densissima operire montem; clangorque buccinae vehementius perstrepabat; et timuit populus qui erat in castris. » Quem timorem pictor sollerter expressit. Adsunt homines tam exterriti ut ne montem quidem intueri audeant. Puer vero parvulum suum fratrem ut eum metu levet collo admovet. Parvulus alius in matris gremium confugit; mulier quaedam aures suas manibus obturat. Sed paulatim montis fragoribus assuescunt timorisque obliti nunc vitulum aureum adorant. Unus revera homo ante vitulum procumbit. Vicinus demisso capite stat Aaron cujus animus culpae formidine trepidat. Populi vero maxima pars « surrexerunt (2) ludere. » Violas adolescentuli plectro pulsant, cymbalaque percutiunt, dum puellae choros ducunt pulcherrimis vestibus indutae. At supervenit Moyses. « Cumque (3) appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros : iratusque valde projecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis. » Benotius non furibundum sed moestissimum Moysen finxit; tabulae non ab eo violenter projiciunter sed de manibus excidunt. Pictori certe non erat in animo adolescentes exprobrare qui occasionem ad choros ducendos habuerunt; nam illum arbitramur Flacci consiliis annuere :

(1) *Liber Exodi*, caput XIX, 16.
(2) *Liber Exodi*, caput XXII, 6.
(3) *Liber Exodi*, caput XXXII, 19.

Quid sit futurum cras fuge quaerere, et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Adpone, nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas.

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora (1).....

Omnino periit nona decima tabula quae Dathan et Abiron historiam referebat.

Tabulae vicesimae sinistra pars Aaronis virgae vices describit. Cum tabernaculum testimonii et arcam fingeret Benotius, Bibliam secutus, non neglexit « duos (2) etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii ». Tabernaculum intus duodecim cernuntur virgae quarum una germinavit; Moyses illam virgam quae est Aaronis adstantibus ostendit. Benotius sacerdotalem majestatem etiam in tam inanibus rebus Moysi praebuit. In dextra parte tabulae sibilat serpens aheneus; stupent omnes et puer a veris exterritus serpentibus in matris se abdit castulas.

Vicesimae primae tabulae fragmenta minima supersunt. Asinae latera Balaam vehementer fuste caedit; Deus Moysi promissam terram ostendit.

Tabulae vicesimae secundae quae longissima erat media pars destructa est. In parte sinistra Hebraei Jordanem transeunt; arcam foederis in siccato fluminis alveo sacerdotes portant, et duodecim viri duodecim lapides colligunt. Aliquid deinde discernitur urbis Jeri-

(1) Horatii, *Carm.* I, IX, v. 13-20.
(2) *Liber Exodi,* caput XXXVIII, 7.

cho quam Benotius immensam splendidamque finxerat.

Dextra pars tabulae mortem Goltath exponit, adversus quem gracilis adolescentulus David sola levique tunica indutus incedit, et baculum laeva tenet, dextra vero fundam torquet. Vacillat ingens Goliath manumque fronti admovet quam fundae saxum discidit. Dum cadit ille milites exterriti post eum fugiunt. Mox David jacentis viri immane pectus manu explorat inspicitque an aliquid ei supersit vitae. Deinde rursum caput cujus fronti haesit letale saxum David ostendit regi Saül, qui valentem adolescentulum non sine invidia admiratur.

Fere omnino periit tabula vicesima tertia quae magnorum Benotii operum extremum fuit. Salomonem visitabat regina Saba. Immensi adhuc discernitur aliquid palatii juxta quod Salomen et praecipui cives reginam ejusque comitatum excipiebant. Hic nonnullae Florentinorum Pisanorumque effigies supersunt. Inter columnas pulchra cauda gloriatur pavo. Cetera picturae destructa sunt. At parvum ejus tabulae exemplum seculo septimo decimo infabre depictum, quod in Pisanorum museo servatur, aliquid refert lineamentorum quae finxerat Benotius. In sinistra parte tabulae Regina Saba cujus elegans petasus corona cinctus erat in equo sedebat. Famuli eam antecedebant sequebanturque. Equitabant deinde mulieres hominesque lecti qui reginam comitabantur. Numerosi variique canes juxta equos currebant. In abscedentibus bubulcus canisque et pastor cum ovibus discernebantur. Vicus in abrupto colle Monti Falconi similis erat. Comitatus alter erat hominum qui diverso ibant itinere et camelos elephantosque ducebant.

Equitantes venabantur adolescentes. Falco volitantem urgebat ardeam quae deinde humi delapsa letali volucri fortiter obsistebat. In dextra parte tabulae regina postquam ex equo descendisset a Salomone comiter excipiebatur. Post reginam duo nani erant et venusta pedisequa quae ejus perlongam fluentemque vestem sustinebat.

Hoc extremum suavissimumque opus dum perficiebat senex pictor, tempus reminiscebatur quo adhuc adolescens Laurentium Ghiberti adjuvabat ad templi sancti Ioannis portam effingendam ubi regina Saba Salomonque discernuntur. Plurimas pulcherrimasque transvectiones abhinc depinxerat, et ipse multum equitaverat dum Urbem Veterem, Romam, Montem Falconem et Sanctum Geminianum petebat. Effigiem suam dicitur in illa ultima tabula ad similitudinem vetuli pinxisse, et, ut facilius agnosceretur in plurimo reginae Sabae comitatu, albam cartam petaso suo applicavisse (1). Quinque et sexaginta annos tum natus erat. Postquam penicillo ultimam lineam duxit, immensum opus perfectum considerare potuit et tandem justissima quiete usus est.

Popularem ethicen diximus eum in illa Veteris Testamenti interpretatione proposuisse. Plerumque illius temporis artificum exemplum secutus, Benotius patriarcharum vitae praesertim studuit qua populus delec-

(1) Haec refert Georgius Vasari..... *Nella storia dunque dove la reina Saba va a Salomone è ritratto Marsilio Ficino fra certi prelati, l'Argiropolo dottissimo greco, e Battista Platina, il quale aveva prima ritratto in Roma, ed egli stesso sopra un cavallo nella figura d'un vecchio raso con una berretta nera che ha nella piaga una carta bianca, forse per segno, o perchè ebbe volontà di scriverci dentro il nome suo...*

tabatur. Prophetas neglexit quorum mysticos sensus parum intellexisset, nam dilucidas res et ad naturam accommodatas obscuris rebus anteponebat. Bibliae praeceptorum vero alia laudare, alia rejicere videtur.

« Honora (1) patrem tuum.. » inquit lex Moysis cui consitio manifestum est annuere Benotius, etiamsi non addidisset Moyses : « ut sis longaevus super terram quam Dominus deus tuus dabit tibi ». At caritatem inter parentes et filios Benotius in primis praedicabat. Cum Cham maledicitur, mater ejus fratresque moesti indicant Noe erga poenitentem filium severiorem esse.

« Non occides (2) » inquit lex. Placidae pacis in toto Benotii opere eminet amor, nec vim unquam adhibere suadet, nisi ut vita, domus, aut amici defendantur. Ducem factum Abraham depinxit qui improbos vincit reges sed horrendam stragem moestus intuetur. Malos coercendos esse certe arbitrabatur Benotius sed legis Hebraïcae quae petit « oculum (3) pro oculo, dentem pro dente » atrocitatem respuebat.

« Non moechaberis (4) » inquit lex. Conjugii fidem manifesto commendat Benotius dum senem Noe ejusque uxorem felices depingit. Omnia reprehendit quae in domestica vita discordias concitant. Etsi uxori pareret dum ingrederetur ad ancillam, multis curis afficitur Abraham, quia filium ex Agar habuit. Raptum virginis certe non excusat Benotius, sed Dinae fratres crudeles

(1) *Liber Exodi*, caput xx, 12.
(2) *Liber Exodi*, caput xx, 13.
(3) *Liber Exodi*, caput xxi, 24.
(4) *Liber Exodi*, caput xx, 14.

esse significat, cum Sichem ejusque propinquos dolosis artibus utentes occidunt. Hemor vero assentit qui res matrimonio componendas esse censebat. Putipharis uxorem a fugitivo Joseph poena satis acerba affectam pictura demonstrat, simulque vetulis hominibus juniores uxores ne ducant dissuadet.

« Non (1) furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt ». Quae omnia praecepta sine dubio laudat Benotius, et in Esaü Jacobque historia quanto odio digni sint indicat mendaces et fraudulenti.

Maxime a veterum Hebraeorum sententiis dissidere nobis videtur Benotius quum de Dei idea religioneque agitur. Praepotentis quidem sed clementis viri vultum semper praebet Aeterno Patri; non est ille dirus implacabilisque Deus Israël qui Sodomam flammis omnino consumpsit totumque Aegyptiorum exercitum undis immersit. Ut jam ante diximus, praeceptum : « Non facies tibi sculptile » tempore Benotii ab omnibus spernebatur, et contra idololatria quaedam christiana vigebat, quam mox severi Ecclesiae reformatores reprehensuri erant. Benotius certe tantae severitati non annuisset. Absurdum quidem putabat vituli aurei cultum, sed puellis libenter ignoscebat quae vivida florentes aetate juxta idolum laetos ducunt choros. Magnam enim lenitatem duris Moysis legibus addere conabatur,

(1) *Liber Exodi*, caput xx, 15, 16, 17.

Evangelium secutus quod dicit : « Beati mites... Beati misericordes... Beati pacifici... » Laborem vero diligens pictor non poenam a Deo injunctam sed felicitatis causam esse ducebat, et laetum praebuit vultum hominibus qui firmam aedificant turrem aut uvas nudis crebrisque pedibus spumantes musto uvas calcare gaudent.

CONCLUSIO

Benotii picturas quisquis summatim contemplatur, ejus ingenii lenitatem et serenitatem praecipue miratur. Quippe animum mulcent earum colores et lineamenta, amoenusque ruris prospectus, caelumque profundum quod albae dividunt nubes. Etiam in tabulis quae tristes eventus oculis exponunt pars aliqua ad spectantem dulce ridet. Sapientiae magister nullus unquam fuit Benotio amabilior. Consilia breviter contrahere conabimur quae nobis dat pictor ad pugnandum cum aerumnis et utendum bonis quibus in his terris afficimur.

Mala sunt quibus voluntas nostra impar est, sicut morbus corporisque infirmitas et mors quae nobis optimos amicos rapit et nosmet ipsos adhuc aetate florentes omnibus bonis ex improviso fraudare potest. Aegrotantes Benotius perraro depinxit, non quod rarum illo tempore quo saeviebant dira pestilentiae contagia morborum spectaculum esset, sed quod Boccacium imitatus animos a malorum cogitatione abducere artificum poetarumque officium esse existimabat. In ejus tabulis omnes praeter moribundos senes optima utuntur valetudine. Macie quidem conficitur Franciscus cujus voluntariis tormentis pictor parum delectari videtur. Serenos vero vultus eorum finxit qui ad ultimos senec-

tutis fines pervecti moriuntur. In moerore tamen versantur superstites qui mortuos diligebant. Morientem Celani militem lugent uxor liberique; morientem Monicam luget puer Adeodatus. Quas lacrimas certe Benotius continendas esse non arbitratur. Sunt enim dolores quidam tam acerbi ut potius sit non eis medicari.

At merito saepius infelices sumus, dolores semper afferentibus vitiis. Dantes poeta nocentes in inferis scelera duris poenis luentes demonstraverat; Benotius eos jam his in terris castigatos depinxit. Superbus Goliath a puero sternitur, avarus Jacob qui fratri primogenita vili pretio emerat, veniam humiliter petere cogitur; foede interficitur impudicus Sichem; ad Joseph pedes fratres qui eum invidiosi vendiderant supplices procumbunt, helluationem acerbe expendit Esaü; irato Moysi qui tabulas testimonii fregit necesse erit ut iterum montem Sinaï ascendat; verberibus afficitur parvulus Augustinus qui piger fuit discipulus. Praemia etiam Benotius ostendit virtutum quae septem capitalibus peccatis respondent. Pueros ethicen magister ejus tabulas oculis perlustrantes facile doceret.

Forsitan dicat aliquis ethicen illam pervulgatam esse, et Benotium ipsis argumentis quae ei tractanda committebantur ad illam doctrinam inductum fuisse. Quod quidem fatemur sed novus nobis Benotius videtur cum caritatem singulari arte celebrat. Multum in hoc cum Dante discrepat qui durior judex summum jus summam esse injuriam obliviscitur et in inferis parem poenam pari culpae referens nocentes ulciscitur. Similis magistro suo Fratri Ioanni Benotius horrendas poenas quas

Dantes excogitavit depingere non potuisset. Quanta maledicta erga homines et civitates et populos in poemate quod *Comoedia* dicitur! Dum usque apud poetae Paradisum sanctorum sermones acerbis contumeliis redundant, omnia in Benotii opere mansuetudinem misericordiamque declarant. Francisci mater cum partus doloribus inopinanter corripitur, statim a benigna quadam curatur muliere cujus vultus miserationem profitetur. Petrum Bernardonem filio iratum prudens amicus manulea retinet. Morituri militis gravatum caput moerens uxor amanter fulcit pectore. Monica quam carum habeat filium indicat grammaticae magistro cui eum docendum tradit. Maledictum a patre Cham mater fratresque miserantur. Strenuus miles factus Abraham horrendam stragem moestus contemplatur. Dum ardet Sodoma, matres flammis saxorumque ruina periturae etiamtum liberos tueri conantur. Sub montis Sinaï radicibus quum horribilia audiuntur tonitrua parvulum fratrem pius puer pavidum collo suo admovet. Plurima alia caritatis exempla apud Benotium notanda essent; illa eligimus quae pictor sponte sua excogitavisse videtur.

Misericordiam commendat Benotius quia humanam naturam imperfectam esse intellegit. Qui magnis uti cupit bonis multa parva ferre debet mala. Molesti contumacesque sunt pueri, quorum non nullos pictor in schola indiligentes aut pugnis certantes effinxit, at plurimos ostendit innocenter ludentes parentibusque blandientes. Omnes in ejus tabulis domus puerorum alacritate renident. Mulierem vero curiosam depinxit

Noe nurum, invidam Saram, dolosam Rebeccam, libidinosam Putipharis uxorem, at plurimas alias teneras demonstrat conjuges piasque matres. Munditias concedit, venustasque virgines quae choros ducunt videtur laudare. Fraudulenti denique nonnulli crudelesque homines sunt sicut Jacob Sichemitarumque interfectores; nobiles vero modestique multi sunt sicut Esaü fratri ignoscens aut Franciscus pallium pauperi dans militi. Aliorum pravitate dolentem sapientem aliorum solatur magnanimitas; et in summa plures esse molles ac benignos quam duros animos sentit. Quod saltem existimare nobis videtur Benotius, qui senes persaepe depinxit quorum renidens vultus declarat eos vitae spectaculum, etsi multis turbatum sit doloribus, carum habuisse.

Nobis in longa Pisanorum coemeterii porticu ambulantibus optandum visum est ut Benotius in magnis picturis Homerica poemata exposuisset. Nestoris enim Ulixisve sapientiam optime illustravisset. Servatur Florentiae in Riccardiana bibliotheca pulcherrimus Vergilii poematum codex cujus minutae picturae Benotii opus esse dicuntur. De facto vero non constat; eum aliqua lineamenta ad illas picturas forte praebuisse tantum arbitramur. At non in tam exiguo loco poterat pandere vela ingenii quod magna spatia requirebat. Ad Homerum Vergiliumve interpretandos ingentibus parietibus ei opus fuisset. Quidquid est, etiam in hebraeis christianisque historiis Graecorum Latinorumque sapientiam et poesim candide importavit. Errores certe sunt et vitia multa in illo immenso opere. Artifices plurimi qui

eodem tempore in Italia florebant antiquarum artium perfectionem propius eo assecuti sunt; nullus vero melius Benotio Atheniensium videtur coluisse sapientiam quae virtutibus ad vitam beatam ducentibus pulchritudinis studium adjungebat.

Cessit e vita Benotius priusquam patriam suam calamitatibus afflictam videret. Libertatem paulo post ejus mortem amisit Florentia et argutum simul in artibus judicium. Fugerunt eam artifices et in aliis civitatibus novas factiones instituerunt; seculi quinti decimi opera neglecta et saepe destructa sunt. Benotii operi, etsi ut alia neglegebatur, fortunate tamen contigit ut fere integrum supersit, et nunc illius temporis artium amatores laeti ad immensas ejus tabulas stupent. Utinam diu illa serventur opera quae Italorum peregrinorumque oculos mulcere et omnibus suadere possunt ut vitam non fastidiant, sed eam ament, felicitatemque vel in his terris habitare persuasum habeant.

Vidi ac perlegi :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. X kal. mart., ann. MCMII.

FACULTATIS LITTERARUM
IN UNIVERSITATE PARISIENSI DECANUS,

A. CROISET.

Typis mandetur :

ACADEMIAE PARISIENSIS RECTOR,

GRÉARD.

TABULA RERUM

4017-02. — CORBEIL. Imprimerie ÉD. CRÉTÉ.

Gozzoli, Benotius
Mengin, Urbanus
Benotium pictorem florentinum

DATE	NAME OF BORROWER
Nov. 18/57	J. Gramming NKSC Dec. 2

See
Mrs Jamieson – Memoirs of early Ital. pain[ters]
Vasari – Lives of the Painters
Lanzi – Hist. of painting in Italy